JOAN. DESPAUTERII NINIVITÆ GRAMMATICÆ

Institutionis, *Lib.* VII.

Doctè & concinnè in compendium redacti

à SEBASTIANO DUISBURGENSI.

Ad prototypum collati, & aucti, in usum studiosæ Juventutis.

Multò quàm antea castigatiores.

Editio Novissima.



EDINBURGI,
Excudebat JOANNES REID, *Anno* DOM. 1684.

SEBASTIANUS NOVIMOLA Duisburgensis, *Hen. Riswichio*, spectatæ, probitatis adolescenti.

N*Æ tu candidus es adolescens, & cui plurimum debeant, bonarum artium candidati. Si enim, præclarissimæ quæque urbes eis merito summos decreverunt honores, qui saluti Reip. (qua non salva incolumes ipsi manere nequissent) aliquando consuluere: quid tibi non debeatur ab illis, quorum studiis, citra tuum quidem commodum (quoniam in Grammatica tu felicissime versatus es) providere curas? Hinc est quod ab ea usque hora qua Desp. Syntaxeos epitomen, superiore anno à nobis emissam, teri passim in puerorum manibus cognovisti, non desieris & præsens rogare, & scriptis monere absens, ut & priores. 7. Desp. de institutione Grammat. libros in corpusculum paulo concinniùs colligerem, quam à quodam ante annos non multos hic factum audires. Quo Hercule quisquis est, oculatiorem me fore haud quaquam sperare potuissem, ni per illum mutilari potius quam abbreviari, doctissimis quibusque viderentur. Gaudeant igitur tuo nomine quibus consuli tantopere exoptas, hoc quicquid est laboris, tuo hortatu suscepto, tibique debito. Majora certè tua merebatur eruditio: at opulentissimi parva debita, ne à pauperrimis quidem persolvi recusant. Et sane pendant hanc, ut libet, operam alii (modo non judicet Momus) te eam inter non minima habituram scio. Primum, quia haud est exiguum puerilia juvare studia. Deinde quia tu quidem animadvertis hujusmodi negotium vel Lynceum requirere in demendis multis, nonnullis addendis, mutandis ac transponendis etiam, ubi res postulat, in omnibus denique ita tractandis, ut infirmioribus pueris velut præmansa videantur: Vale.* COLONIÆ, 1534.



GRAMMATICÆ DESPAUTERIANÆ
LIBER PRIMUS.

DE NOMINUM GENERIBUS.
Regulæ Generales.

Omne viro soli quod convenit, esto virile:
Omne viri specie pictum, vir dicitur esse.

Omne nomen soli viro datum est masculini generis. Vir hic dicitur esse, quicquid ut vir pingitur: veluti Adam, Deus, Angelus. Exempla hujus regulæ sunt quintuplicia, Primò, propria nomina virorum: ut Seneca, Hercules, Hanniba l. Secundò, propria Angelorum: tam bonorum, ut Gabriel, quàm malorum, ut Lucifer. Tertio, propria Deorum, ut Mars, Cupido, Vulcanus. Quartò, propria ventorum: quia pinguntur specie virili, ut Boreas, vel Aquilo. Quinto, Appellativa solis viris data: ut Nauta, Presbyter, Scriba. Genera tribus modis noscuntur: Significatione, ut Joannes est masculini generis, quia marem significat. Terminatione, ut vulpes est fœminini generis, quia terminatur in es. Authoritate, ut Talpa, aliquando est masculini generis, quia Virgilis dixit. Talpæ oculis capti.

Esto fœmineum recipit quod fœmina tantùm,
Fœmina dicatur facie pictum muliebri.

Omne nomen soli fœminæ datum, est fœminini generis. Fœmina hic dicitur quicquid specie muliebri pingitur: ut Dea, Nympha, Furia, &c, veluti Venus, Echo, Alecto, &c. Exempla hujus regulæ sunt triplicia. Primo, propria mulierum, ut Paula, Glycerium, Dido. Secundo, propria Dearum & Nympharum atque furiarum, quæ omnes Deæ aliquando dicuntur; ut Juno, Calisto, Celæno. Tertio, per hanc regulam fœminina sunt appellativa solis mulieribus data: ut Soror, *a sister*, Obstetrix, *a Mid-wife.*

Quicquid utriq; datur, commune locatur: ut, *Exul*

Omne nomen sub una terminatione viro & fœminæ datum est communis generis: ut Exul, qui vel quæ exulat, *a banisht man*

man or woman. Auriga, qui vel quæ currum agit, *a Carter.* Macedo, qui vel quæ in Macedonia naſcitur. Sic Saxo, Brito, Friſo, Laurens, &c. Sed melius dicimus Friſius, Friſia, quæ referes ad regulam, Eſto genus varium, *&c.* Mancipium, Scortum, quanquam, utrique ſexui conveniant, ſunt neutra tamen, per hanc regulam proximè ſequentem.

Um neutrum pones, hominum ſi propria tolles

Omne nomen in um eſt neutri generis, niſi fuerit hominis proprium: ut Mancipium, id eſt ſervus, vel ſerva, *a servant*: Scortum, id eſt, meretrix, *a whore*, vel puer meritorius. Dixi, niſi fuerit hominis proprium, quia proprium viri in um eſt maſculini generis, ut Pægnium. Proprium fœminæ eſt fœmininum, ut Philenium. Propria autem Oppidorum aut alia quæcunque ſunt neutri generis: ut Gandavum, Lovanium. Sic fluviorum in um nomina, ut Cruſtumium. Item tam arborum, quam fructuum nomina in um deſinentia: ut Hebenum, Balſamum, Pomum. Sed quæ in um deſinunt ſæpius fructum ſignificant, ut pyrum, prunum.

Adjectiva, trium generum ſint, ſine ſub uno.

Omne nomen adjectivum eſt omnis generis, ſi unica ſit terminatio: ut fœlix, audax, diſcors, quatuor, quinque, ſex, *&c.* centum, mille. Dicimus enim centum viri, centum poma, ſic mille viri, &c. Mille tamen aliquando eſt ſubſtantivum ſingularis numeri, cujus plurale eſt millia: ut mille equitum occiſum eſt. Duo millia Turcarum interierunt. Dixi, ſi unica ſit terminatio, quia alioqui cuique terminationi proprium genus daretur, per regulam.

Eſto genus varium, fuerit niſi terminus idem.

In ſubſtantivis virum & fœminam ſignificantibus, & in adjectivis, ſi terminationes ſint diverſæ, diſtincta dantur genera. In ſubſtantivis ubi duæ ſunt terminationes, prior eſt maſculini generis, & poſterior fœminini: ut hic Caupo, vini & epularum venditor, hæc caupona, *a taverner*. Hic Ninivita, Sunamita, Iſraelita, Levita, & alia ejuſmodi infinita quæ Græcè etiam in es deſinentia, gentem aut familiam aut populum, aut imitatorem ſignificant, & faciunt fœminina in is; ut hic Ninivita vel Ninivites, hæc Ninivitis, hujus Ninivitidis, hic Teucer, hæc Teucra, id eſt Trojanus, Trojana. Sed ejuſmodi

nomina

nomina possunt esse adjectiva: ut Afer, Afra Afrum: veluti bellum Trojanum, &c. Sic hic Cres, hæc Cressa; hic Lacon, hæc Lacæna.

Adjectiva secundæ declinationis omnia tribus vocibus flectuntur, quorum secunda est primæ declinationis: ut Bonus bona bonum, niger nigra nigrum, satur satura saturum, &c. Adjectiva tertiæ declinationis plurima sub una terminatione omnis generis sunt, ut Arpinas, clemens, fœlix. Multa enim duas terminationes habent, ut hic & hæc melior & hoc melius: sic cætera comparativa, hic & hæc fortis & hoc forte; sic omnia adjectiva in is & e: Et in istis prior vox est communis generis, posterior neutri. Pauca sunt Adjectiva in er masculini generis, in is fœminini, & in e neutri, ut Campester campestris campestre, id est ad campum pertinens. Volucer, volucris, volucre, id est velox, aut volans. Hæc volucris substantivum, quicquid volat. Alacer alacris alacre, *cheerful*. Acer acris acre, *sharp or fierce*. Acrimonia, vehementia. Celeber celebris celebre, *famous*. Celer celeris celere, *swift*. Saluber salubris salubre, sanitatem adferens, quam qui habet sanus dicitur, *healthsome*. Insaluber, *unhealthsome*. Pedester pedestris pedestre, pertinens ad pedites: ut pedester exercitus. Sic Equester, Silvester, Paluster, Sequester, &c.

Mobile pro fixo, fixum si subsit, habetur: Quod si non fixum subsit, neutri generis sit.

Adjectivum per se positum propter aliquod perpetuo subauditum, putatur esse substantivum ejus generis cujus est subauditum; ut Molaris masculinum est, quia intelligitur dens, vel lapis. Si nihil subaudiatur, erit neutri generis: ut antecedens, id est oratio aliam inferens. Consequens, id est oratio ex alia illata. Triste, id est res tristis.

Masculeum fluvii nomen decet usque reponi.

Nomen fluvii est masculini generis: ut Tybris, Sequana, Garumna: at Styx & Lethe semper fœminina sunt, quia paludes esse potius quàm flumina dicuntur.

Cōmunis proprio quandóq; genus lego junctum.

Nomen minus commune quandoq; respicit genus superioris vel communioris: ut Bubo est masculini generis: ut sermo. Ovidius. *Ignavus Bubo dirum mortalibus omen.*

Magis commune vel superius avis, est fœminini generis. Sic dicimus magna bubo, quia intelligitur avis. *Virg.* Æn. 4. 462. v.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, supple, *visa est.*

Secundo, per hanc regulam nomina montium in diverso genere interdum leguntur: ut Ossa, mons Thessaliæ, est fœminini generis, ut penna, musa, interdum masculini reperitur, quia intelligitur mons. Ovid. in Ibin. v. 286.

Utque dedit saltus è summo Thessalus Ossa.

Tertio per hanc regulam nomina fluviorum fœminina inveniuntur, quia intelligitur aqua. Nos inventis tantum utamur. Ovid, *Tanto est Albula pota deo.* Mart. dixit in masculino. *Sui Rector aquarum Albula.* Nonnunquam fluviorum nomina neutra sunt, quia intelligitur flumen. Talia sunt Mulucha, Turia, & Muthul. Quarto, per hanc regulam, Fabularum nomina sunt fœminini generis, quia intelligitur superius fabula, vel comœdia, vel tragœdia. Ter. *Quem transtulit in Eunuchum suam.* Quinto, nomina navium per hanc regulam sunt generis fœminini; quia ejus generis est superius navis. Virg. *Centauro invehitur magna.* Cæterum hoc loco proprium pro minus communi sumitur, sive re ipsa sit proprium, ut Ossa, sive Appellativum, ut Bubo.

Insula & urbs, regio, capit hæc. Neutrum genus optant
Zeugma, *Reate*, *Argos*, *Præneste*, & *Tibur*, & *Ispal*,
Cære, *Nepet*. Neutrum vel masculeum dabit *Anxur*
Hoc *Cim* vult. Hic aut hæc donat *Lesbos*, *Abydos*.
Hic *Sulmo*, hic *Agragas*. Pluralia in i maribus do.
A plurale genus neutrum sibi poscit ubique.

Insularum, regionum, & urbium nomina, fœminina sunt, Insularum quidem; ut Samos, Britannia, Regionum, ut Ægyptus, Africa. Urbium, ut Ephesus, Castulo, Tarraco, Corinthus, Jerusalem. Lesbos, Insulæ nomen. Abydos urbs Asiæ. Ubi Poëtæ terminationem aspiciunt, masculina leguntur.

At tantum in neutro genere reperi Zeugma Zeugmatis, oppidum ab Alexandro conditum. Reate, oppidum Umbriæ. Argos, oppidum Græciæ. Præneste, oppidum Italiæ. Tibur, oppi-

oppidum Italiæ. Sic Ispal, Cære & Cærete oppida sunt. Neper, oppidi nomen. Cim, vici Italici nomen est. Anxur, urbs Italiæ dubii generis est. Sulmo, Ovidii patria, masculinum est. Sic Agragas Agragantis, tam pro monte, quam pro oppido masculine legitur.

Virg. Æn. 3. v. 703. *Arduus inde Agragas.*

Pluralia in i sunt masculini generis, quicquid significent. Itaque volo regulam esse generalem non solum exceptionem à dicta regula. Inter hæc oppidorum nomina, sunt Philippi, Veii, Gabii, Parisii. Cuncta pluralia in a neutra sunt, ut Ilia, Exta. Inter hæc oppidorum nomina sunt Bactra, Cithera, Artaxata, Susa, Hierosolyma, licet singulariter aliquando hæc Hierosolyma, hæc Susa legamus.

Arboris est nomen muliebre. Dat hic *Oleaster*,
Ut *spinus*, *platanon*, at *acer*, *thus*, *robur*, habent hoc,
Arbor vixq; *siler*. Dabit hic aut hoc tibi *suber*.
Hic aut hæc *libanus*, *pinus*, *rubus* atque *cupressus*.

Nomen arboris est fœminini generis; ut pomus, pyrus, prunus, quercus, æsculus, salix, abies, ficus, fraxinus, malus, morus. Malus autem arbor est, quæ vulgo pomus dicitur. Nam pomus generale est ad prunum, pyrum, *&c.* Malus, masculinum est lignum veliferum, *a Mast.* Fagus, *a beech tree.* Buxus, *a Bush tree.* Invenitur aliquando masculini. Taxus, *an Ewe tree.* Ulmus, arbor alba, cujus virgis vapulant pueri, *an Elme tree.* Quæ in um desinunt, sæpius ut dictum est, fructus significant: ut pyrum, prunum. Sed nux, ficus, glans, avellana & quædam alia eodem servato genere, arborem, fructumq; significant.

A regula excipiuntur quædam: ut Oleaster, sylvestris olea, *a wild Olive tree*; Platanon platanonis, est arboris nomen, aut potius locus platanis consitus.

Neutra sunt quædam arborum nomina: ut acer, aceris: Thus etiam pro arbore. Robor vel robur, species quercus durissimæ. Siler, arbuscula vel frutex potius quam arbor, vulgo salix dicitur, *a sauch tree.* Suber sæpius neutri generis quam masculini, *a cork tree.* Libanus, arbor est thurifera, Calepinus dicit tam masculini generis esse quam fœminini. Pinus & Cupressus nunc fœminina solum habebuntur, Rubus sentis genus, rectius cum Virgilio masculine proferes.

Ex

Ex se nullius generis pro nomine sumptum,
Est neutrum: ceu litera, vox quoq; materialis.

Dictio ex sua significatione non recipens genus (ut de genere hic loquimur). si pro nomine sumatur, erit neutri generis: ut omnis litera & vox materialiter posita: veluti longum a, homo terminatum in o, facit genitivum hominis.

Exempla hujus regulæ sunt quadruplicia.

Primò, verbum loco nominis, ut sumens illud ave; id est, illam salutationem: id per infinitivum sæpius fit. Pers. *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter:* id est, scientia tua.

Idem. *At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.*

Idem. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Secundò, adverbium loco nominis.

Idem. *Nempe hoc assidue? Jam clarum mane fenestras*
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.

Idem. *Jam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras.*

Tertio, nomina literarum, aut ipsæ literæ, neutri generis sunt.

Idem. *Si potis es vitio nigrum præfigere Theta.*

Sic unum iota. Iota est litera Græca, hoc est i. Invenies tamen quandoque literarum nomina in genere fœminino, per regulam, Communis proprio, &c.

Quartò, vox materialiter accepta est neutri generis: ut homo dissyllabum in o terminatur. Martial. lib. 6. Epig. 48.

Quod tam grande sophos *clamat tibi turba togata.*
Non tu Pomponi cœna diserta tua est.

Vox vel scriptura materialiter sumitur, quando seclusa significatione pro mera voce vel scriptura capitur, & quando sensus est, illa dictio, illud verbum, illa oratio: ut homo in o desinit, id est illa vox homo, &c. Causa hujus est, quia omnis dictio habet ipsam vocem vel scripturam tanquam materiam & signficationem tanquam formam.

EPICOENUM sive PROMISCUUM GENUS.

Quæ signant volucres una sub voce, ferasque,
Et pisces, sexu non certo; sunt Epicœna.

Epicœni generis dictio est quæ sub uno articulo significat utrumque sexum, etiam in nominibus animalium, in quibus sexus non facilè dignoscitur: ut in nominibus avium, veluti Aquila, passer, anser, pica, picus, Psittacus, olor, vel cygnus, philomela

lomela, vel luſcinia vel aëdon, ſtruthio, turdus, coturnix, merula, acanthis, perdix, otus, niſus, &c. Gallus, gallina, epicœna non ſunt, quia ſexus facilè cernitur. Columba, epicœnum eſt: licet etiam pro mare hic columbus dicatur. Hic œſtrus vel hoc œſtrum, volatile apis magnitudine, bobus apibuſq; infeſtum: ſi abeſt ſexus non dicitur epicœnum: uti nec pulex, apes, muſca, anguilla, &c. Secundò, epicœna ſunt piſcium nomina: ut Balæna, maxima bellua marina, *a whale*. Cetus omnis magnus piſcis. Muræna, piſcis ſimilis anguillæ. Hinc Murænula, torquis vel ornamentum colli. Sepia, piſcis habens atramentum pro ſanguine & ponitur pro atramento. Tertiò, nomina ferarum ubi ſexus difficulter noſcitur epicœna ſunt; ut vulpes, muſtela, cuniculus, &c. Ad diſcernendum ſexum dicimus, Cygnus mas, Cygnus fœmina. Ov. *—cum quo ſua gaudia jungat.*
Invenit in media fœmina piſcis aqua. Dicitur nunc quoque lupus, lupa: urſus, urſa: leo, lea: vel leæna. Si quis roget. Muſtela cujus generis? Sic reſpondeto, Muſtela eſt epicœni generis ſub articulo hæc, quia terminatur in a.

REGULÆ GENERUM SPECIALES.

Hæc dat a. Do neutris cum *Paſcha*, *mammona*, *manna*.

Nomina in a ſunt fœminini generis: ut ſitula, vas quo hauritur aqua, *a bucket*. Puſtula, cutis inflatio, *a blybe*. Stipula, calamus frumenti, *a reed*. fiſtula, muſicum inſtrumentum quo flatu canitur, *a whiſtle*. Muſa, carmen vel carminis Dea, *a ſong*. At mammona, id eſt pecuniæ vel divitiæ, *riches*, Manna, cœleſtis cibus, *Heavenly food*, neutra ſunt indeclinabilia. Paſcha, neutrum primæ, teſte Placentino, licet multi per tertiam paſchatis declinare malint.

Hadria maſculeum datur, atque *cometa*, *planeta*.

Tria ſunt maſculina. *Hadria, cometa, planeta.* Hadria, ſinus maris, vel ipſum mare Hadriaticum. Cometa, vel cometes, ſtella crinita, *a comet*. Planeta interpretatur erro erronis, *a planet*. Sunt autem planetæ ſtellæ erraticæ: ut Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

Hic aut hæc *talpæ* cum *panthera*, dato *damæ*.

Tria in a ſunt dubii generis: hic aut hæc talpa, hic vel melius hæc panthera: hic aut hæc dama. Dama, caprea

ſylveſtris

ſylveſtris, *a Doe*. Panthera, animal maculoſum, *a Panther*.

Sit neutri generis per a quicquid tertia flectit.

Nomen tertiæ declinationis in a deſinens, eſt neutri generis: ut ſcomma, jocoſa irriſio, *a mock*. Anathema, maledictio, *a curse*. Diadema precioſus pannus, qui capiti Regio circundatur, *a Diadem*.

Hoc dat e. Fœmineo generi do græcula primæ.

Nomen in e eſt neutri generis: ut cubile, lectus, *a bed*. Sedile, id eſt ſedes, *a seat*. Duo ſunt pluralia neutra: Cete, grandes piſces. Tempe, loca amœniſſima Theſſaliæ.

Excipiuntur à regula nomina in e Græca primæ declinationis quæ ſunt fœminini generis: ut Synanche, id eſt angina, *the choiks*. Nymphe, Nympha, id eſt formoſa puella & ſemidea. Epitome, abbreviatio. Ethice, moralis ſcientia.

I neutrum pono. Finita per o maribus do.

Omne nomen in i ſingulare eſt neutri generis indeclinabile ut Gummi, id eſt viſcus ex arboribus fluens, *gum*. Sinapi, *mustard*. Obliqui hi caſus, Nauci, Nihili, Trioboli, & dativus frugi omnium generum nominibus apponuntur. Nauci homo, Trioboli meretrix. Nauci, putamen nucis, *the shell of the nut*. Nihili, id eſt inutilis, *unprofitable*. Frugi utilis, *profitable*. Tullius, *Homo frugi omnia rectè facit*.

(Finita per o maribus do.) Nomen in o eſt maſculinum: ut Cento, ſtragulum lecti craſſum & villoſum, *a covering of a bed*. Titio, lignum ſemi-uſtum, *Charcoal*. Scipio, ſtipes, *a club*. Et viri nomen.

Pondo loca neutrum. Verbale io cum *caro* vult hæc *Talio* jungatur, poſuit quod Valla virile.

Excipiuntur à regula, Pondo, neutri generis, id eſt libra, *a pound*. Secundò, excipiuntur nomina verbalia in io quæ ſunt fœminini generis & caro: Veluti Religio, à religando, Dei cultus aut metus. Portio, quaſi partio, pars. Ratio qua bonum à malo diſcernimus; & computatio, ut redde rationem villicationis tuæ; & reſpectus, ut habe rationem famæ: & modus; ut percunctare qua ratione beatam vitam duces. Talio fœminini eſt contra Vallam, licet à nullo verbo deſcendat, & eſt æqualis redditio, Pugio maſculinum eſt, *a whinger*. Licet à pungo derivetur.

Jungito fœmineis, do, go. Sed Mascula sunto
Ordo, udo, harpago, cudo, ligo. Sed dubitabis
Margo, Cupido, quibus jungunt cum *cardine bubo.*

Nomina in do & go sunt fœminini generis: ut formido, timor, *fear.* Grando, *hail.* Sartago, frixorium, *a frying pan.* Siligo, est tritici species, unde optimus sit panis, qui siligineus dicitur.

Excipiuntur pauca ab hac exceptione. Nam masculini generis sunt, Ordo, id est collocatio, *order.* Udo, calceamenti genus. Harpago, harpagonis, telum in summitate aduncum, quo navigia capiuntur vel instrumentum quo capiuntur quæ in puteum vel flumen deciderunt, *a cleik or hook.* Cudo cudonis, vel codo capitis ornamentum ex corio. Ligo, ferramentum quo purgantur fossæ, *a spade.* Dubii generis sunt; hoc est masculina vel fœminina, Margo, id est cujusque rei extremitas Cupido pro cupiditate: pro amoris Deo solum masculinum est. Cardo, *a door crook.* Potius est masculinum. Bubo declaratum est in Regula Communis proprio.

U, c, neutra loco, d, vel l, t. Sed hæc dabit *haleo*
Aut hoc. *Sol mugil* dant hic, ut *Sal*, quod & hoc vult

Nomina desinentia in u, c, d, l, t, sunt neutri generis, ut cornu, genu, lac, quid substantivum. Nam quod adjectivum est. Tribunal, sedes judicis, *a justice seat.* Cervical, *a Cod.* Mel, Fel, Subtal, pro cavo pedis. Nil nihil sine c, quia fiunt à nihilum & hoc, a ni, pro non, & hilum, id est, nigrum fabæ: & quid vis nullius pretii. Caput, Sinciput, *the fore-head,* Occiput, *the hind-head.*

Excipiuntur à regula pauca. Nam halec tam fœminini quàm neutri est pro pisce, qui sola aqua nutritur, *an herring,* & pro quodam liquamine ex intestinis piscium. Antonius Nebrissensis, pro pisce solum fœminino genere, non per c, sed per x, literam, hæc halex dici, debere asserit. Hic Sol, mundi oculus, *the Sun.* Mugil, piscis capitosus, qui in metu abscondito capite, totum se occultari putat. Sal, *salt.* Nunc est masculinum, olim etiam neutrum. Columella: Sal acer & siccus.

An, in, on, maribus dantur. Sint neutra secundæ.
Hic aut hæc *Python, Sindon* muliebris & *Icon.*

Nomina desinentia in an, vel in, vel on; masculina sunt; ut

ut Titan, i. e. Sol. Pæan, id est hymnus & Apollo. Delphin piscis quidam & astrum. Dæmon interpretatur sciens. Canon, i. e. regula.

Excipiuntur à regula, nomina in on secundæ declinationis, quæ Latini plerumque vertunt in um, & sunt neutri generis; ut colon, id est membrum. Python, serpens quidam, dubii generis est. Fœminina sunt, Sindon, velum subtilissimum, & Icon id est Imago.

En neutrum pono. Mas est cum *pectine*, *lichen*,
Et *ren*, sive *rien*, *atagen*, *splen*, junge *lienem*.

Nomen in en est neutrum: ut Flumen, id est fluvius, *a flood*. fulmē, ignis ingenti velocitate è nubibus decidens, *a fire flaught*

Excipiuntur à regula pauca masculina, ut pecten quo pectitur capillus; *a comb*. Lichen, id est mentagra talis morbus. Ren sive rien, *the Neir*: Attagen significat avem quandam delicati saporis valde vocalem, sed captam, mox obmutescentem. Splen & Lien idem significant, *the Melt*. Splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, jecore amamus: Persius. *Quid faciam? sed sum petulante splene cachinno.*

Ar petit hoc. Sed *lucar* avis, cum *baccare*, vult hæc
Nunc *jubar* hoc tantum poscit, *jubar* hic dedit olim

Nomina in ar sunt neutra; ut Lupanar, domus luparum, i. meretricum, *a bordel*: Calcar, i. ferreus stimulus ad calcem alligatus ad urgendos equos, *a spur*. Cochlear, quo sorbemus, *a spoon*.

Excipiuntur duo fœminina. Lucar pro ave, prima luce suaviter canente, *a Laverock*. Lucar neutrum, erogatio quæ in lucis fiebat. Baccar vel baccaris, herba quædam sine asperatione: Bacchar cum aspiratione neutri generis est, vas vinarium, quod Baccharium quoque & Bacchium dicitur. Jubar, sol vel ipsius splendor, *the Sun beam*, nunc est neutrum, olim etiam fuit masculinum.

Er petit hic. Terræ hoc fœtus (*cucumer* nisi) poscit
Uber, *iter*, *verber*, quibus addes rite *cadaver*.
Ver, *spinter*, *tuber*. Dabit hic aut hæc tibi *linter*.

Nomina in er sive declinationis secundæ, sive tertiæ, sunt masculini generis ut culter, passer, &c.

Excipi-

Excipiuntur à regula quædam nomina tertiæ declinationis neutri generis fructus terræ significantia: veluti Papaver, herba semen soporiferum habens, *the cheß-bow*. Cicer, quoddam legumen est superius acutum, sic piper, zinziber, &c. Cucumer tamen masculinum est, verum sæpius in nominativo cucumis legitur: herba quædam est & ejusdem herbæ fructus, *the Cucumber*. Neutra etiam sunt quæ sequuntur, Uber, *a Pap*. Iter, itio vel actus eundi, & aliquando via, *a passage*. Verber, *a scourge*. Cadaver, id est corpus mortuum, *a carion*. Ver, *the spring time*. Spinter, fibula mulieris, id est, uncus quo vestes nectuntur, *a broach*. Tuber priore longa, est terræ callus: Metaphoricôs pro quovis tumore capitur. Ter. Tuber est totum caput. Tuber priore brevi: Arbor est fœmininum. Linter, navicula vel lignum cavatum; rectius fœmininum est.

Ir junges maribus, neutri generis tamen est *hir*.

Nomen in ir masculinum est: ut Vir, & gentile Trevir. At hir, id est vola manus, est neutrum, *the luife of the hand*.

Hic dat or. Hæc *arbor*, *cor*, *ad*ó*rq*; *hoc marmor* & *æquor*

Nomen in or masculinum est: ut mœror, *grief*. Rumor, populi sermo. Fulgor, *shining*. Unicum est fœmininum, Arbor. Quatuor sunt in or neutra. cor, fons & radix vitæ, *the heart*. Ador, *wheat*. Marmor, *a marbel stone*. Æquor, id est mare, *the sea*. Aliquando etiam campus aut aër. Nam proprie dicitur æqua superficies rei.

Hoc datur. Hic *furfur* capiet, cum *vulture*, *turtur*.

Nomen in ur est neutri generis: ut Murmur, *a noyce*. Guttur, *the throat*. Tria excipiuntur à regula masculini generis. Furfur, purgamentum farinæ, *clats or bran*. Vultur, avis rapax & carnivora. Turtur, *a turtle Dove*.

As petit hæc. Neutrum est *vas vasis*, *fasq*; *nefásque*, Atque *ceras*. Vult *as* hic *assis*, ut omnia primæ Nomina: queis addes, *adamas*, *elephas*, *agragásq*;

Nomina in as est fœminini generis, ut Charitas cum h, id est dilectio, *love or charity*. Caritas sine h, id est pretiositas, *dearth*. Facultas, id est possibilitas, ars, possessio. Excipiuntur à regula quatuor neutra, Vas vasis, *a Veßel*. Fas licitum, *lawful*. Nefas, illicitum *unlawful*. Ceras, ceradis, cujusdam

loci nomen. Masculini vero est as assis, libra duodecim uncias continens: Accipitur pro nummo, & pro tota possessione, ut hæres ex asse, id est, tota possessione. Masculina etiam sunt omnia primæ declinationis nomina in as: ut Tyaras, capitis ornamentum quo reges & sacerdotes utebantur. *a diademe.* Pharias, serpentis nomen: his junguntur Adamas, lapillus pretiosus, *an Adamant.* Elephas, maximum animal, *an Elephant.* Agragas pro monte, & similiter pro oppido, ut & dictum est superius

Es sit fœmineum. *Tudes* hic vult, *poples* & *ames*,
Pes, *aries*, *paries*, *palmes* cum *limite*, *stipes*,
Et *fomes*, *trames*, *termes*, cum *gurgite*, *cespes*.
Et verres, *merges*, quibus addito Græca *diesque*
Tempore pro certo, cum prole: dat hæc ita raro.

Nomen in es est fœminini generis, ut Apes; *a bee.* Moles, id est magnitudo, *a great quantitie.* Proles, filius, aut filia, *a child.* Cædes interfectio, *slaughter.* Sedes, id est sedile, *a seat.* Excipiuntur à regula quædam in es nomina masculini generis: ut tudes, malleus, à tundendo dictus, *an hammer.* Poples, curvatura sub genu, *the hogh.* Ames, sine h, baculus quo sustentatur retæ aucuparium, *a fowlers stafe.* Pes, *the foot.* Sub hoc comprehenduntur, Semi-pes, id est dimidium pedis, *half a foot.* Sesquipes, id est dimidium pedis, *a foot and an half.* Sonipes, & cornipes, id est equus, *an horse.* Aries, masculus ovium, & quoddam instrumentum bellicum, *a ram, or a battering ram.* Paries, murus domus ex quacunque materia, *a wall.* Palmes, ramus vitis, *a vine branch.* Limes, *a march.* Stipes, *a stake or staffe.* Fomes, nutrimentum: ut vinum est fomes libidinis, *nourishment.* Trames, via vel transitus, à transmeo, *a way.* Termes surculus arboris, *an imp of a tree.* Gurges, profundus in flumine locus, *a weel.* Cespes frustum terræ graminosæ, *a turffe.* Verres, porcus non castratus (nam castratus dicitur Majalis) *a Bair.* Merges manipulus spicarum, *a single.* Masculina quoque sunt nomina Græca: ut Planetes, Cometes, lebes, *a ketle,* Tapes, *Tapestrie.*

Dies pro certo tempore viginti quatuor horarum, èst tam fœminini quam masculini generis, *a day.* Sæpius tamen masculini est: ut meridies ejus compositum semper est masculinum, *the noone tide.* Dies pro tempore simpliciter sæpius fœmininum est.

Tibu-

Tibullus. *Longa dies homini docuit parere leones.*

Hippomanes neutrum dabimus, velut *æs*, *cacoethes*.

Neutri generis sunt Hippomanes, & quod per æ dipthongum scribitur æs, & cacoëthes. Hippomanes, virus ab equa collectum, vel caruncula in fronte pulli equini hominem ad insaniam redigens. Æs quoddam metallum, capitur pro pecunia, *Brass or Money*: Alienum æs, pecunia debita, *debt*. Cacoëthes malus mos, *an evil use*: Communia in es, his versibus continentur.

Miles, eques, cocles, generis communis & hospes.
Indiges, antistes, vates, interpres, & hæres
Et pedes. ast hic, aut hæc, fixum suscipit ales.

Is dabo fœmineis. Sunt mascula *piscis* & *axis*,
Glis, *callis*, *vermis*, *sotularis*, *acinacis*, *orbis*.
Et *cenchris*, *vectis*, *postis*, cum *sanguine*, *fascis*.
Et *fustis*, *mensis*, *collis*, *caulis*, quoq; *follis*,
Et *cassis*, *torris*, quibus addes *pollis*, & *ensis*,
Sic *delphis*, *cucumis*, *vomis*, compostaq; ab *asse*:
In nis finitum, *lapis*, *unguis*, *aqualis*, *aprilis*.

Nomen in is est fœminini generis: ut Bilis, cholera & ira, *anger*. Cratis, rara connexio ferramentorum aut lignorum, *a Brander*. Hinc cratis ferrea, cratis viminea, *a tirlues*. Vallis, locus declivis, *a Valley*. Tolluntur à regula multa masculini generis: ut piscis, *a fish*, Axis, *an axil tree*. Glis, *a rat*. Callis, via trita, *a plain gate*. Vermis, *a worm*. Sotularis, id est calceus, *a shoe*. Acinacis, id est gladius, & proprie Medus vel Persicus, *a culmush*. Orbis, res rotunda, circulus, *a circle, or a trencher*. Cenchris, quidam serpens. Vectis, *a bar*. Est quoque lignum teres quo aliquid vehitur aut portatur. Postis, *a post*. Sanguis, *Blood*. Proprie sanguis qui est intra venas. Cruor, fusus sive sanies. Fascis, *a packald*, Fustis, *a batton*, Mensis, *a Moneth*. Collis, *a little hill*. Caulis, stipes herbæ: ponitur nonnunquam pro brassica, *colwort*. Follis, *a pair of bellows*. Cassis dum rete significat, *a net*: Nam pro galea fœminini generis est, *a helmet*. Torris, *a fire-brand*. Pollis *flower*. Ensis, *a sword*. Delphis, Delphin, *a Dolphin-fish*. Vomis, *the sock of a plough*.

Masculina etiam sunt composita ab asse, ut Semis, id est de-

dimidium assis: Tressis, id est tres asses. Sic octussis, decussis, vigessis, centussis, &c. quae sunt ponderum aut nummorum nomina. Tressis adjective capitur; Persius, *Dama est non tressis Agaso.* Masculina item sunt in nis finita, ut panis, penis, id est cauda, funis, *a cord.* Item lapis. Unguis, *the nail of the finger, or toe.* Aqualis, *a water tub:* Aprilis, nomen mensis. Sic masculina sunt, Sextilis, Quintilis, quia per naturam adjectiva sunt: at quasi substantiva ponuntur, quia intelligitur masculinum mensis.

Hic aut haec *finis*, *clunis*, cum *corbe*, *canalis*,
Anguis, & *halcyonis*, *torquis*, *pulvis*, *cinis*, *amnis.*

Nomina hic posita sunt dubii generis. Finis, *the end.* Clunis *the buttock*, corbis, *a creel.* Canalis, *a spout.* Anguis, *a serpent*, Halcyonis, avis maritima in arenis, media fere hyeme, ova deponens. Dicitur etiam haec halcyonis & halcyone, & latine alcedo Torquis, *a chain.* Amnis, *a flood.* Pulvis, *dust.* Notandum tamen est Canalis, pulvis, cinis, & amnis, saepius esse masculina

Os maribus detur. Sint neutra *chaos*, *melos*, *os*, *os*
Atq; *epos.* Haec *arbos* dices, cui jungito, *cos*, *dos*,
Cum multis Graecis: per us haec vertere Latini.

Nomen in os desinens, est masculinum: ut Ros, *Dew.*

Excipiuntur à regula pauca neutri generis, Chaos, confusa rerum materies: capitur pro nocte & inferno, *a confused mass.* Melos, id est dulcis modulatio, *melody.* Os oris, *the Mouth or Face.* Os ossis, *a bone.* Epos carmen, *a verse.* Foeminina sunt arbos, id est. Arbor, *a Tree.* Cos lapis quo ferrum acuitur, *a whet-stone.* Dos, *tochergood.* Capitur pro quovis dono Foeminina sunt multa Graeca in os, quae in us vertunt Latini, papyros, vel papyrus frutex vel arbuscula Ægypti, unde fiebant chartae in quibus scribebant: nunc ex linteolis contritis fit: priore retento nomine, *paper.* Eremos, vel eremus, penultima longa, *a desart place or hermitage.* Periodos vel periodus, *a compleat point.* Synodos vel synodus, *an assembly or convention* Exodos vel exodus, id est exitus, *an out-passage.*

us mas non ternae: quod ternae est, dicito neutrum

Nomina in us secundae aut quartae declinationis, sunt generis masculini: tertiae vero neutri. Exempla prioris partis ex secunda

cunda declinatione. Acervus, *a heap.* Mannus, *a naig.* Nevus, *a spot in the body.* Ex quarta declinatione. Casus, *a fall or chance.* Census, *riches.* Ovid. 1. fast. v. 217.

In pretio pretium nunc est, dat census honores?
Census amicitias; pauper ubique jacet.

Exempla posterioris partis, ut corpus, *the body.* Hulcus, *a byle.* Vulnus, *a wound.*

Excipiuntur multa Græca in us fœminini generis secundæ declinationis, quæ Grecè in os desinunt, ut papyrus, arctus, eremus, periodus, synodus, methodus, &c. comprehensa sub exceptione præcedenti.

Cum multis Græcis, per us hæc vertere Latini,

Fœmineum *domus* est,& *vannus*,*humus*,*colus*,*alvus*,
Et *tribus*, atq; *manus*, ceu *porticus*, ac *acus*, *idus*.

Excipiuntur à priore parte regulæ,pauca fœminini generis ut domus, partim secundæ, partim quartæ. Colus, cujus ablativus colu in quarta declinatione apud Ciceronem reperitur Et quæ tantum secundæ declinationis sunt, vannus, humus, alvus. Reliqua sunt quartæ declinationis. Et Idus tantum est pluralis numeri. Domus, *an house.* Vannus, *a sive.* Humus, *the earth.* Colus, *a rock.* Alvus, *the womb.* Tribus, *a kindred.* Manus, *the hand,* Manus quoque multitudo & potestas. Porticus, *a Gallerie.* Acus, *a needle.* Acus vero neutri generis, tertiæ, *chaffe.* Acus masculini generis & secundæ declinationis pisciculus est. Idus sunt dies quidam mensis, *certain dayes of the month.*

Dat *pecus* hæc *pecudis*,*subscúsque*,*palusque*,*salúsque*,
Quæque *senex*,*juvenis*,cum *servio*,nomina donant,
Et *virtus*, *incus*, at mascula sunt *lepus* & *mus:*
Et quæ *pus* donat, veluti *chytrapus* volo jungi.

A posteriore parte regulæ excipiuntur pauca fœminini generis quæ sunt hæc, pecus, quando genitivus est pecudis, nam si pecoris facit, neutri est, *all sorts of beasts:* ut oves, capræ, &c. Pecus pecoris etiam totum gregem significat.

Virg. *Despectus tibi sum, nec quis sim quæris Alexi:*
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.

Subscus, tabella quâ tabulæ inter se,conjunguntur, quia quâ

immittitur, ſucciditur. Cato de ruſtica, Subſcudes ilignas addito. Palus, *a mire.* Palus pali maſculini, *a great ſtake.* Salus, *health.* Senectus, *old age.* Juventus, *youth-head.* Servitus, *bondage.* Virtus, *virtue or valour.* Incus, *a ſmiths ſtithy.*

At maſculini generis ſunt Lepus, *a hare.* Et Mus, *a mouſe.* Maſculina ſunt Græca à pus podos, id eſt pes, ut tripus, id eſt menſa tripes, *a three-footed board.* Chytrapus, *a footed pot.*

Carbaſus hic aut hæc, *groſſus*, dant *grus*, *atomúſque*,
Lecythus, atq; *pharus*, *penus*, & *ſpecus*, & *paradiſus*,
Sic *alvus* quondam: junge *intybus*, atq; *phaſelus*,
Pampinus atque *arquus*. *Pro fructu ficus*: At hic vult
Pro morbo. Nunquam declinat quarta virile.
Hoc *ſpecus*, atque *penus* dices, dum tertia flectit.
Hic aut hoc *Vulgus*. Solum hoc *virus*, *pelagúſque*.

Quædam nomina in us ſunt dubii generis: ut hic vel hæc Carbaſus ſœpius fœmini generis, *fine lint or ſail.* Grus epicœni generis ſub hic vel hæc, *a cran.* Groſſus, ficus abortiva, quæ non matureſcit, *a wild fig.* Atomus, corpus inſecabile. Lecythus, *an oyl pot.* Pharus, turris altiſſima in aliquo portu propter navigantiū ſalutem, ad prælucendi miniſterium fabricata *a beaken.* Penus ſecundæ vel quartæ declinationis eſt maſculini generis vel fœminini, tertiæ vero ſolum neutri neneris eſt, quemadmodum & ſpecus, penus, *any thing that may be eaten.* Specus, *a den.* Paradiſus, *Paradiſe, or a garden.* Alvus olim quoque maſculini generis erat, nunc tantum fœminini eſt. Intybus, herbæ nomen, *Cicorie.* Phaſelus, *a barge or pinnage.* Pampinus, vitis ramus. Arcus vel arquus, pro iride tam ſecundæ quam quartæ declinationis, melius eſt maſculini generis, *the rainbow.* Ficus, arbor nota, ſolum eſt fœmini generis, per regulam generalem, *a fig tree.* Ficus pro fructu, eſt maſculini & fœminini generis, in maſculino ſolum ſecundæ declinationis: etiam morbum quendam à ſimilitudine fici ſignificans, *the fike,* in fœminino genere tam ſecundam quam quartam declinationem recipit. Vulgus, tam maſculini quam neutri generis, *the common people.* Tantum ſunt neutri generis pelagus, *the ſea.* Et virus, *poyſon.* Pelagus etiam nonnunquam maſculinè reperitur. val. Flac. lib. 1. *Pelagum quantos aperimus in uſus.*

Fœmineum est, *laus*, *fraus* velut s, cui consona juncta est.

Laus & fraus, & omnia nomina desinentia in s præsidente consonante sunt fœminini generis: ut puls, stirps, ars, glans, mens, *&c.* Laus, *praise.* Fraus, *deceit.* Trabs, *the balk of an house.* Hyems, *the winter.*

Mascula sunt *pons*, *fons*, *mons*, *seps*, dum denotat anguem.

Densque, *chalybs*, *torrens*, *assis*, cui jungito partes.
Et polysyllaba in s, dum p, præponitur illi.

Excipiuntur ab illa regula quædam masculini generis, & sunt hæc: Fons, *a running well.* Pons, *a bridge.* Mons, *a mountain.* Seps, parvus serpens, ex cujus ictu membra percussa putrescunt, *a kind of serpent.* *Lucan.* lib. 9. v. 7.26.

Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps.

At seps pro sepimento est fœminium, & in eadem significatione dicitur hæc sepes, hujus sepis, *an hedge*: Dens, *a tooth.* Chalybs, *steel.* Torrens, fluvius ex imbre aggestus, *a spait.* Item, masculina sunt nomina significantia partes assis. Unde as, i. duodecim unciæ, uncia est prima pars assis, *an ounce.* Nomina itaque de quibus loquor sunt: Sextans, sexta pars assis, id est duæ unciæ, *two ounces.* Quadrans, unciæ tres, quasi quarta pars assis, & vocatur etiam Triuncium, *three ounces.* Triens, tertia pars assis, id est unciæ quatuor, *four ounces.* Quincunx, unciæ quinque. Hoc in nx desinit, non in ns, *five ounces.* Semis id est semi as, hoc est sex unciæ, *six ounces.* Septunx in nx non in ns, id est unciæ septem, *seven ounces.* Bes, id est unciæ octo, *eight ounces.* Dodrans unciæ novem, quasi dempto quadrante & dicitur nonuncium, *nine ounces.* Dextans, id est unciæ decem, quasi dempto sextante, *ten ounces.* Deunx in nx non in ns, unciæ undecim, quasi dempta uncia ab asse, *eleven ounces.* Hæc nomina significant nummos & vasa. Item masculina sunt polysyllaba, in ps. ut Hydrops, aqua intercus, *hydropsy*

Hic aut hæc *forceps*. & *adeps*, *frons*, cum *scrobe serpens*
Atque *rudens*, & *stirps* dum truncum significabit.

Pauca in s desinentia præcedent e consonante, sunt dubii ge-

 neris

neris: ut forceps, *a pair of tongs.* Adeps, *fatness.* Frons nunc fœmininum est, sive folium, sive capitis anteriorem partem notet, *the forehead, or the leaf of a tree,* Scrobs, *a ditch, or a fur.* Serpens, *an adder.* Rudens, *a cable.* Stirps pro orgine vel pro gente solum est fœmininum, at pro trunco vel radice, tam masculini quam fœminini generis est, *the root of a tree.*

Hæc petit x. Polysyllaba in *ax*, & in *ex*, maribus *do*
Dic tamen hæc *fornax*, *similax*, *carex*; velut *halex.*
Addátur *vibex*, cum *forfex* atque *supellex.*

Nomina in x sunt fœminini generis, ut Celox, à celeritate, *a schallope*, pax, lex, &c.

Excipiuntur polysyllaba tam in ax quam in ex, quia sunt masculini generis ut Thorax, *the breast, or breast-plate.* Nycticorax, *the night crow.* Frutex, *a scourge.* Pollex, quia præ cæteris pollet, *the thumb.*

Inter polysyllaba, id est habentia plures syllabas quā unam fœmini generis sunt, Fornax, *a furnace.* Similax & smilax genus hederæ flore candido olente lilium, Carex, *a wild sedge.* Halex, *an herring.* Vibex, *the mark of a stroake.* Forfex, *a pair of shears.* Supellex, *houshold stuff.*

Màscula sunt *fornix*, *phœnix*, cum *varice mastix*,
Et *bombyx*, *spadix*, & *oryx*: quodque *uncia* præbet,
Grex, & *eryx*, *sandyx*, *volvox*, *calyxque calixque.*

A regula hæc petit x, tolluntur plura masculini generis, ut Fornix, *a pend or vault.* Phœnix, avis unica. Mastix, mastigis id est flagellum, utimur in compositis, Homeromastix, id est reprehensor Homeri & flagellator. Varix, *a bolden vein.* Bombyx, *a silk worm.* Spadix, *scarlet.* Oryx, animal in Getulia, ex caprarum genere. Composita ab unica sunt, Quincunx, septunx, deunx, de quibus dictum est in præcedentibus, Grex, *a flock of bestial.* Eryx montis Siciliæ nomen. Sandix, herba quædam & coloris genus. volvox, *a kind of worm.* Calyx cum y Græco priore producta, masculini generis, bacca rosæ, id est rosa clausa, & omnis cortex, sive putamen, cui fructus aliquis includitur; *an unspread flower.* Calix cum i nostro, *a cup.*

Hic aut hæc *cortex*, & *onyx*, cum prole, *silex*, *lynx*,
Imbrex, *calx*, *ramex*, *pumex*, *obicem* volo jungi;
Atq; *culex*, *natrix*: Sunt qui *limax* quoq; jungunt.

Quædam nomina in x sunt dubii generis: ut hic aut hæc Cortex, *the bark*. Onyx, id est unguis & gemma candorem habens, unguis humani, *the nail, or a precious stone*. Sardonyx, gemma Sardii, onychisque colorem repræsentans, *a Sardonix*. Silex, *a flint stone*. Lynx, *a beast of sharp sight*. Imbrex, *a gutter in the thack*. Calx, *the heel*. Alias tantum fœminini Ramex credo melius esse masculinum, *Rumbursenness*. Pumex, *a pumish stone*; Plaut. Pumex non est æquè aridus aque hic est senex. Obex, Objectum vel obstaculum, ut pessulus, sera, *a bar*. Culex, *a midge*. Natrix, *a water snake*. Limax, *a snail*.

DE REGULARI PARTIUM.
Orationis causalium declinatione.
LIBER SECUNDUS.

DEclinationis vocabulum, quia generale est, etiam verborum variatione convenit; Sed nobis hic, declinatio est dictionis per casus in fine variatio; ut Nominativo hæc musa: Genitivus hujus musæ: Dat. huic musæ, &c.

Variantur autem per casus tres tantum orationis partes, quas ob id causales vocant, & sunt Nomen pronomen & participium: participia declinantur ut nomina. De pronominibus in fine agetur.

Declinationes nominum sunt quinque, quibus nomina dantur (quemadmodum & conjugationibus verborum & personis) ab ordine quem acceperunt, Hinc est quod rectius interrogamus Quotæ declinationis? ut & quotæ personæ? quotæ conjugationis? quam cujus declinationis? &c. Quotus enim de numero ordinali interrogat, non quis.

Casus est declinationis gradus: & sunt sex: qui dividuntur in rectos & obliquos. Recti duo sunt. Nominativus & Vocativus: Hic enim nominativo (qui propriè rectus dicitur) plerumque similis est, Quatuor sunt obliqui; Genitivus; Dativus Accusativus, & Ablativus. Nominativus casus qui rem nominat. Hunc quoniã à nullo cadit impropriè casum dici volunt.

Genitivus est quo utimur interrogati de genere, origine vel possessore. Cujus est filius Paris? Priami, Et patrius dicitur, quod per ipsum patronymicum exponatur: Priamides, id est Priami filius.

Dativus significat id cui aliquid datur vel acquiritur, aut etiam commendatur, ideo commendativus dicitur.

Accusativus, incusativus, & causativus, aliquid accusari, & in causa fieri ostendit.

Vocativus, vel salutativus, qui vocationem, salutationéq; dicit
Ablativus, plerumq; id à quo aliquid aufertur significat, dicitur Latinus, quia Græci hunc casum non habent.

Notabis in universum de omnibus casibus, quod frequenter ab ordine suo denominantur, ut Nominativus vocatur primus Genitivus secundus, Dativus tertius, Accusativus quartus, Vocativus quintus, Ablativus sextus.

REGULÆ GENERALES, SIVE
Pluribus declinationibus communes.

Compositum simpléxq; modo simili gradiuntur
Demitur *exânguis*: sine càrmine plura recludam.

Simplex & compositum plerumque simili modo declinantur: ut pes & bipes.

Excipiuntur autem à regula. Exanguis, quod genitivum similem nominativo facit licet simplex sanguis, faciat sanguinis Est autem exanguis, carens sanguine, admodum pallidus vel mortuus, *very wan or dead*. Tollunt plura: nam a substantivis facta adjectiva in ablativis & quibusdam aliis casibus aliter eunt quam simplicia. Caulis ablativum facit caule, unicaulis vero unicauli. Et à manus composita sunt secundæ declinationis: ut centimanus.

Rectum in compósitis tantummodò flectere fas (est.
Alteruter rectum nescit variâre priorem.

Dictio composita ex pluribus casibus non declinatur, nisi ex parte recti, Unde si ex duobus nominativis, conficiatur: declinabitur utrinq; nominativus, si declinationem recipiat: ut respublica reipublicæ, *a common wealth*. Si ex recto & obliquo fiat, aut contra solus nominativus declinabitur: ut *tribunus plebis urbis præfectus, jurisperitus, senatus-consultum plebiscitum.* Si vero nomen ex duobus obliquis constet, nullo modo flectitur ut hujusmodi, ejusmodi, &c. A parte prima excipitur *alteruter*, quod licet ex duobus rectis constet, tamen solum declinatur posterior rectus: sic, *Alteruter, alterutra, alterutrum*, &c. Est autem alteruter quivis è duobus aut unus è duobus. Leopardus, & puerpera tantum ex posteriore parte declinantur, quia prior pars compositi mutatur Lea & pueri.

Quotiescunque altera nominativorum aliquo casu caret, tota

dictio

dictio eodem carebit. Jusjurandum caret genitivo & dativo, ablativoque pluralibus: quia illis jus caret: unſquiſque caret vocativo ut quiſque. Suiipſius caret nominativo ut ſui.

In neutris primus, quartus, quintus ſimiles ſunt:
Queis in *a* pluralis ſemper, cum flectimus, exit.

Nomina neutri generis in quacunque declinatione habent tres caſus ſimiles, nominativum, accuſativum, vocativum in utrolibet numero, & hi caſus ſi declinentur, pluraliter terminantur in a: ut Nominativo, Accuſativo, Vocativo *ſcamnum*: & in plurali *ſcamna*. Sic *corpus, corpora, cornu, cornua*. Si non declinentur, non neceſſariò pluraliter in a deſinunt: ut Centum, mille, tempe. Item ambo, duo, quamvis declinentur, in a non deſinunt, quia omninò irregularià ſunt.

Eſt primo quintus ſimilis. Sed Græcus s aufert
Sæpe: velut *Thoma, Theſeu, Panthu, Pari, Palla.*

*V*ocativus utriuſque numeri ſimilis eſt nominativo: ut nominativo Muſa, puer, panis. vocat: O muſa, puer, panis. Pluraliter hæ muſæ, pueri, panes.

Ab hac regula excipiuntur primo nomina Græca in (s) quæ literam s ſæpe in vocativo abjiciunt: ut hic *Æneas, Thomas, Ænea, Thoma*, Sic omnia in *as* primæ terminata. Hic *Anchiſes, Priamides, Anchiſe, Priamide*, Sic omnia in *es* primæ. Hic *Tydeus, Orpheus, O Tydeu, Orpheu*. Sic omnia in *eus* per *eu* diphthongon deſinentia. Hic *Panthus, Oedipus, Melampus. O Panthu, Oedipu, Melampu. Talia ſunt admodum pauca.* Hic *Calchas, Pallas O Calcha, Palla*. Talia in tertia ſunt omnia virorum propria in *as* quorum genitivus in *antis*. Pallas Palladis, Deæ nomen, habet vocativum nominativo ſimilem. Hic *Achilles, O Achille*, Hic *Paris, O Pari*. Quod, ut alia quædam, aliquando s literam retinet. Ab hac regula exceptiones declarabuntur in declinatione ſecunda.

*S*yncopa plurali nonnunquam fit genitivo.

*S*yncopa aliquando fit in genitivo plurali: in prima quidem declinatione: ut Cœlicolum pro Cœlicolarum. In ſecunda, ut Deûm pro Deorum. In tertia, Cœleſtûm pro Cœleſtium. In quarta declinatione, ut Currûm pro Curruum. Syncopa eſt ablatio literæ vel ſyllabæ è medio dictionis. Huic, eſt figura contraria Epentheſis, quæ eſt adjectio literæ vel ſyllabæ in medio

dictionis

dictionis; ut alituum pro alitum, propter versum recipitur.

Plurali similis sexto vult tertius esse.

Dativus & ablativus plurales cujuscunq; declinationis, sun similes: ut *Dativo* & ablativo Musis, Magistris, Partibus, manibus, diebus.

PRIMA DECLINATIO.

Prima dat *as*, *es*, *e*, rectis, & a. patrius æ vult.
Cum terno. Sed ab e recto, genitivus in es fit.
Casibus his *Adam* tantum flectunt & *Abraham*.

Prima declinatio habet quatuor terminationes nominatvi singularis, as, ut Æneas, Andreas, Thomas, es, ut Alcides, Chryses, Anchises. Quædam sunt appellativa: ut Cometes, Prophetes, Levites, Psaltes. E, ut Pentecoste, *Whitsunday*. Talia quædam Latine terminantur etiam in *a*: ut Helene, vel Helena, Grammatice vel Grammatica, &c. Sic se habent & in *es* hujus declinationis nomina: ut Cometes vel Cometa: Planeta vel planetes. A, ut Poëta, *a Poet*, Arca, *a chist*. Arrha id est arrhabo, *an earnest penny*. Additur à nonnullis; quinta terminatio *am*: ut Adam, Abraham quæ melius per secundam inflectitur: ut Adamus, Abrahamus.

Patrius æ vult cum terno. Genitivus & dativus primæ declinationis singularis numeri desinunt in æ diphthongon, ut patria, hujus patriæ, huic patriæ, *a native countrey*. Musa *a muse*. Aura, *a soft air*.

Diphthongus est duarum vocalium vim suam retinentium in eadem syllaba conglutinatio. Et sunt Latinæ quatuor *æ*, *œ*, *au*. & *eu*, Musæ, cœna, audio, euge. Diphthongus à dis, i. bis, & phthongus id est sonus, quasi duarum vocalium sonus. Sed in æ & œ parum audiuntur *a* & *o*, Veteres frequenter in genitivo per duas syllabas *ai*, pro *æ* dixerunt, ut Aulai, pro aulæ. pictai pro pictæ, unde virg. *Aulai in medio libabant pocula Bacchi*: Idem. *Dives Pictai vestis & auri*. Vetustissimi ad imitationem Græcorum etiam as dedere, nominibus, præsertim in a purum & in *da*, *ra*, *tha*, desinentibus: ut Familia, familias: Leda, ledas: Terra, terras, Martha, Marthas.

Sed *ab e recto*, Excipiuntur à regula, quantum ad genitivum nomina græca in e, quia faciunt genit: in es, Dativum vero in æ diphthongon: ut hæc pentecoste, hujus pentecostes, huic pentecostæ: sic Magdalene, Thisbe, Penelope, Calliope, Circe.

Am faciet quartus: Finita per *as* vel *a* Græca
An quoq; dant. *en* fiet ab *es*, & ab *e*, nec habent *em*.

Accusativus primæ declinationis terminatur in am, ut hæc sella hanc sellam, id est sedes. Sic cella per *c* est cubiculum & penuarium: ut Cella vinatia. Camera, *a vault*.

Finita per as. Græca nomina in as & a etiam mittunt accusativum in an, ut hic Thomas, Æneas, Boreas; hunc Thomam vel Thoman: Æneam vel Ænean: Boream vel Borean: hæc Ossa, Ætna, hanc Ossam vel Ossan: Ætnam vel Ætnan nomina montium. Nomina in es & in e desinentia faciunt accusativum in en, nunquam in em, ut hic Anchises, hunc anchisen: hæc Ninive, hanc Niniven.

A sextus donat. Tamen *es* ac *e* retinent *e*.

Ablativus in a desinit, ab: hac Musa, ab: hoc Ænea. Sic Lagena, vas in quo viatores potum deferunt, *a can*. Fidelia, *a pig*. Latrina, *a privie*. Cloaca, *a conduit of filth*. Mantica, *a wallat*. Tamen es ac e, &c. Nomina in es & e desinentia faciunt ablativum in e: ut ab: hoc Anchise. Comete, ab: hac Theriace, quodam medicamentum *Triacle*. Strophe, versutia vel deceptio, *deceit*. Ode, id est cantus, *a song*. Hæc & similia solum e in ablativo habent. Sic nomina in e in accusativo en solum habent, in ablativo solum e. Anchisam vero & Anchisa sunt à nominativo in a. Sic virg. *Anchisa genitore*. Anchisa enim pro Anchises aliquando dictum est: ut Atrida pro Atrides: id est filius vel nepos Atrei.

Primus pluralis fit in *æ*. Genitivus in *arum*.

Nominativus pluralis in æ diphthongon desinit, cui similis est vocativus. Genitivus fit in arum: ut hæ musæ, O musæ, harum musarum. Nomina in e desinentia Latini in plurali vix unquam usurpant, nisi secundum declinationem Latinam tanquam singulariter terminentur in a.

Tertius is poscit. Tamen *abus* paucula donant:
Filia, Mula, duæ, liberta, equa, nata, Dea, Ambæ.

Dativus pluralis in is desinit, dativo ablativus similis est per regulam *Plurali similis*. &c. ut his musis, pennis, Octo indubie habent abus, ut filia filiabus, nata, &c. quorum ambæ duæ nulla differentiæ causa faciunt abus, reliqua differentiæ causa faciunt abus, ne de maribus videatur sermo. Ubi vero ambigu-

itas per adjectiva, tollitur inveniuntur quandoq; is tenere, nata, *a daughter*. Liberta, mulier libera quæ fuit serva. *a free woman*. Libertus est talis vir.

Accusativus pluralis semper in as fit.

Accusativus in as finitur : ut has animas, crumenas, Anima *the soul or life*. Crumena, *a purse*. Ansa, *the lug of any vessel*, etiam est fibula, quæ calceis insuitur, *a buckle*.

Ansaque compressos alligat arcta pedes.

Scutica, *a scourge*. Dolabra, *a plain*.

SECUNDA DECLINATIO.

Altera sex rectis, *er*, *ir*, *eus*, *ur*, dat vel *us*, aut *um*:
Addimus e græcis *os*, & *on*, per *us*, *um*, varianda.

Nominativus secundæ declinationis habet sex terminationes er, ir, ur, eus, us um. Eus est terminatio græca. Hic jungimus græcam terminationem, *os*, quam Latini sæpissimè vertunt in *us*, & *on*, quam vertunt in *um* : exempla sunt, Faber quicunq; artifex malleo utitur : ut Faber lignarius, *a wright*, Faber ferrarius, *a smith*. Faber murarius, *a mason*. Magister, cui cura rei incumbit : ut Magister pagi, Magister vigilum. Quicunque ludo literario præest, Magister, vel unico verbo ludimagister, rectè dicitur. Glaber, glabra, glabrum, id est calvus, sine crine aut herbis vel segete : nam ager aliquando glaber est, *bald or smooth*. Scaber, sordidus, asper, ut unguis scabri, cutis scabra, *filthy*. In ir tria sunt, ut Vir i. mas, Trevir aliquis è civitate Trevirensi. Levir frater mariti vel uxoris, *a good brother*. In eus nomina virorum propria : ut Orpheus, Perseus, Tydeus. In ur unicum est nomen adjectivum. Satur satura saturum. In us & um sine numero nobis cognita sunt ut Circus, *a circle*. Hircus, *a buck*. Colum, *a syeth dish*. Solum quodvis sustentaculum : ut terra est hominis solum, *the ground*.

Ovid. *Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.*

Os, ut Samos, Lesbos, on, ut Pelion, Ilion.

I patrius servat, genitivus non superabit.

Genitivus secundæ declinationis in i desinit : ut hujus Magistri, scamni.

(*Genitivus non superabit*) sententia est : Gen. secundæ declinationis non habebit plures syllabas quam nominativus, &

hoc

hoc dicunt, Non crescit genitivus: ut hic vafer vafri, *subtile*. Ater *black*. Teter, *filthy*. Jusjurandum non crescit ea parte qua est secundæ declinationis, *a solemn oath*.

Crescit *ir*, *ur*, *gener* & *prosper*, *puer*, *asper*, *adulter*,
Presbyter, atq; *tener*, *miser*, *exter*, *gibber*, *Iberque*.
Et *lacer*, atque *socer*, *Liger*; orta *gero*, *fero*, *liber*,
Addimus his *dexter*, cui Syncopa fiet, ut *Asper*.

Crescunt tamen pauca, ut quæcunque in ir desinunt, veluti vir viri: levir leviri. Et ur, satur saturi: cum sequentibus in er. ut gener generi, maritus filiæ. *a good son*. Prosper prosperi, felicitatem adferens, *happy*. Puer est teste Varrone qui nondum excessit annum decimum quintum. Asper, *rude or sharp*. & pro irato sumitur. Adulter qui matrimonium violat: Mulier adultera dicitur. Presbyter, *an elder*, Tener tenera tenerum, *tender or young*. Miser, *wretched*. Exter extera exterum, id est externus; *a stranger*. Gibber, *crook backed*, Iber iberi, vel tertiæ. Iber iberis, id est Hispanus, *a Spainard*. Sub hoc nomine comprehenditur. Celtiber, celtiberi, populus Hispaniæ, Regio vocatur Celtiberia. Producunt autem iber & Celtiber semper genitivi penultimam, quam alii hic corripiunt. Lacer, *riven*. Socer, pater mariti vel uxoris, *the good father*. Liger Ligeri, viri proprium. Crescunt etiam composita à gero & fero: ut Claviger, qui clavam gerere dicitur: ut Hercules, vel clavem ut ostiarius. Laniger lanigera lanigerum, id est lanam gerens: ut ovis lanigera, *that bears wool*. Sic Setiger, Corniger, belliger, &c. Signifer, *a bearer of an Ensign*. Stellifer, ferens stellas. Lucifer, ferens lucem. Sic salutifer, opifer, somnifer, lethifer mortifer, &c. Liber priore longa, adjectivum, & Bacchi nomen, nam pro cortice aut codice minime crescit: ut liber libri. Dexter dexteri, vel per Sycopam dextri habet, asper asperi, vel per eandem figuram aspri.

Conservant normam pronominis ista secundam
Unus, *uter*, *neuter*, *solus*, *quis*, & *ullus*, & *alter*,
Atque *alius*, *totus*, Fuit olim patrius *uni*.

Hæc nomina unus, uter, cum suis comp. uterque utervis, uterlibet. neuter solus, quis (quod ex Donato notum) nullus alter, alius, & totus habent in genitivo ius, & dativo i, quia declinantur ut pronomina secundæ declinationis: veluti nomina-

tivo

tivo unus una unum, Genitivo unius, Dativo uni, &c. Alius crescit in genitivo, non syllabis, sed quantitate, quia secunda syllaba in genitivo solum est longa, in nominativo autem brevis. Alterius penultimam solum corripit, quam reliqua in prosa producunt tantum, in versu variant. Plebei Versiculi sunt,

Rectus vult alius, poscit genitivus alius,
Corripit alterius semper: producit alius,

Item alius facit dativum trisyllabum alii, cum reliqua dativum faciant à genitivo, abjecta us syllaba. Sub ullus, id est aliquis comprehenditur nullus, id est non ullus: uter, i, quis è duobus. Cætera sunt nota. Neuter habet neutrius in genitivo, & neutri in dativo; sæpius quã neutri neutræ neutri, nisi in Grãmatica locutione, neutri generis, pro quo nollẽ dicere neutrius generis.

(*Fuit olim patrius uni*) Veteres hæc nomina præter quis declinabant, ut Bonus. Nec desunt etiam apud Ciceronem & Terentium exempla.

Ei, vel *ei*, vel *eos*, dabit *eus*. Volet *Androgeos o.*

Nomen in *eus* desinens facit genitivum in *ei* syllabam, vel per duas syllabas in *ei* vel *eos*: ut Tydeus Tydei; per duas syllabas: vel Tydei & Tydeos per tres. Cave Latinum putes esse genitivum apud Virg. 4. Eclog. v. 57. *Orphei Calliopeia; Lino formosus Apollo*, est enim Dativus Græcus.

Androgeos vero facit genitivum Androgeô. Sub hoc comprehendi volo Apollos, Apollô. Tydeus, Tydeô. Athos, Athô; & Pauca alia quæ in *os* longum Attice desinentia, habent etiam *o* in dativo & ablativo. In accusativo *on* longum vel *o*, Vocativus autem est nominativo similis.

I vates quandoque jacit, ceu *cura peculi.*

Quando genitivus terminatur in duo ii, solet alterum causa metri quandoque abjici. *Virg.* Ecl. 1. v. 33.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Per Apocopen pro peculii. Sic Tuguri pro Tugurii. Antoni pro Antonii. Peculium est proprium alicujus bonum, *proper goods*; peculiaris, i, proprius. Tugurium, id est domuncula rustica, *a cote house*. *Virg.*

Pauperis & Tuguri congestum cespite culmen.

Apocope est ablatio literæ vel syllabæ à fine dictionis.

Tertius & sextus formantur in *o* tibi casus.

Dativus & ablativus in *o* desinunt: ut huic Magistro, ab hoc Magistro.

Um-

Um poſcit quartus. Quandoq;per *on* loco Græca
Eus ea vult etiam. Per e quintus vertit *us*: abſque,
O fili, Deus, & fluvius, pŏpulus, chorus, agnus,
Quatuor hæc e volunt etiam, ut pro rege *latinus.*

Accuſativus in *um* deſinit: ut Mæander Mæandrum, fluvius quidam nimis curvus & flexuoſus. Ideo Mæander pro ambagibus & fraude capitur *a bout gate*, cic. *Scio quos tu Mæandros quæſiviſti.* Tholus, pertica in templo ad quam dona ſuſpenduntur. Scrupulus, *a litle ſtone, or a doubt.* Ter. *Unus mihi ſcrupulus reſtat: qui me male habet.* Scopulus, *a rock in the Sea.* Scopus, *a mark,* Capulus. *an heft.*

Quandoque per on) Nomina Græca quæ poſſunt in *os* vel *us* deſinere faciunt etiam ſæpe accuſativum in *on*; ut hæc diphthongos vel diphthongus: hanc diphthongon, vel diphthongum. *Quæ in eus* deſinunt ſæpius accuſativum in *ea* mittunt: ut Tydeus. Tydea, Orpheus, Orphea.

Per e quintus vertit us) Nomina ſecundæ declinationis terminantia in *us*, mutant in vocativo *us* in *e*, ut Cantherius. O Cantherie, equus caſtratus, *a gelding*. Sic lanius, *a fleſher*. Tabellarius. *a carrier of writings.* Statuarius, qui facit ſtatuas, *a graver of Images.*

Abſque O fili) Excipiuntur à prædicta exceptione paucula, ut Filius. O fili. Deus, O Deus ſolum. Fluvius, O fluvius, vel fluvie: Populus pro hominibus, O populus & popule. Chorus, O Chorus & chore. Agnus, O agnus & agne. Latinus, Rex Latii. O Latinus & Latine. Chorus eſt canentium cœtus. Populus prima longa pro arbore popule tantum facit.

Cum proprium dat *ius*, dempta *us* fit in *i* tibi
quintus.

Propria in *ius* dempta *us* faciunt vocativum in *i*, ut Laurentius, O Laurenti: Terentius, O Terenti. Fabius, O Fabi. *Vocativus* in i ſemper una ſyllaba minor eſt Nominativo: ut Pompeius triſyllabum, O Pompei diſyllabum. Aliquando i conſonans per Diæreſin fit vocalis, & ſic tam Nominativus quam vocativus ſyllaba longior eſt.

Ovid. *Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,*
Debitor eſt vitæ qui tibi, Sexte, *ſuæ.*
Mart. *Pervigil in pluma Caius ecce jacet,*
Idem. *Quod peto da Cai, non peto conſilium.*

PLU.

PLURALIS NUMERUS.

Primus pluralis fit in *i*, vult patrius *orum*;
Græcus in *ôn* fiet, *is* tertius. *Os* dato quarto.

Nominativus pluralis, cui vocativus est similis, fit in *i*: ut hi Magistri: hi vulgi: hi Dei vel Dii, Prius à Deus est, posterius à Dius, quod veteres dixerunt pro Deus. Hinc mansit pluralis Dii: quod magis in usu est quam Dei, & dativo & ablativo sæpius Diis quam Deis dicimus. Genitivus pluralis desinit in orum: ut horum magistrorum, horum scamnorum, horum ephippiorum. Ephippium, *a saddle*. Ferculum, *a mess of meat*. Nomina festorum faciunt genitivum plerumque in orum per hanc declinationem, dativum & ablativum sæpius in *ibus*: ut Saturnalia, Festa Saturni: genitivo Saturnaliorum: aliquando etiam Saturnalium: dativo & ablativo Saturnalibus. De his sufficiet hunc versum adjecisse Badianum.

Festa lego per ibus; *licet* orum, *dent genitivis*.

(*Græcus in ôn fiet*) Græcus genitivus in *ôn* longum desinit, & ita utuntur sæpe Latini: ut pluraliter hi Cimmerii, horum Cimmeriorum, sive cimmeriôn. Tib. *Cimmeriôn etiam obscuras accessit ad oras*. Cimmerii sunt populi quibus perpetua nox est: hinc multam obscuritatem aut animi caliginem proverbialiter appellant cimmerias tenebras. (*Is tertius*) Dativus in is desinit, ut Ablativus, veluti, his, palis, qualis. Palus, *a stake*. Qualus, *a basket*. (*Os dato quarto*) Accusativus in os desinit: ut Catulos, pullos. Catulus, fœtus canis & cujuscunque feræ: ut Catulus Leonis, lupi, ursi, muris, *a whelp*. Pullus, fœtus avium & omnium mansuetorum animalium: ut pullus Asinæ: præterquam boum: nam vitulus dicitur, aut vitula, & ovium: quia agnus vel agna dicitur, & caprarum, nam hœdi & capelli dicuntur. Ambo duo, licet ad tertium librum pertineant; hic declarabo, quia primam secundamq; declinationem maximè sequuntur.

Ambo, *duo*, Neutri generis sunt, masculeique,
Mas o vel os quartus donat. Vult tertius o bus.

Singulari numero carent. & pluraliter nominativo, Ambo, duo, ambæ duæ, ambo duo: Genitivo, amborum duorum, vel duùm; ambarum duarum, amborum duorum vel duûm. Dativo ambobus duobus, ambabus duabus, ambobus duobus. Accusati-

cusativo, Ambos duos, vel ambo duo (licet rarius) ambas duas ambo duo. vocativi similes sunt nominativis, ablativi dativis.

TERTIA DECLINATIO.

Tertia dat varios fines, dans is genitivo.
Græcorum patrius vel in *os*, vel in *i*, vel in *us* fit.

Tertia declinatio multas habet terminationes. Semper autem genitivus fit in is, ut hic pater, hujus patris. Hic Ulysses, hujus Ulyssis, nisi Græca more Græco declinentur: tunc enim sæpe habent os: ut hic Pan, hujus Panos: hujus Ulysseos, Achilleos. Etiam hujusmodi in eus propria quandoque habent ei. Horat. Ode. 6. lib. 1. *Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,* versus est Asclepiadæus. Contrahitur ëi in ei diphthongum vel monophthongon i.

Virgil. Æn. 2. 7. --*Quis talia fando,*
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei,
Temperet à lacrymis?

Idem. *Exuvias indutus Achilli,* Quandoque Genitivus Græcus in *us* definit. Ut hæc Echo, hujus Echus.

Nominativi terminationes in tertia declinatione sunt circiter septuaginta & una. Literæ Terminales undecim: a e o c d t l n r s x. Litera Terminalis, est ultima dictionis litera. Terminatio, est ultima dictionis syllaba. Terminationes per ordinem ponentur, cum literis terminalibus.

A, ut Malagma, *a sofining plaister*. Scomma, *a mock.*

E, ut Conclave, *a secret chamber.*

O, ut Pernio, *the mowles*. Petaso, *a gammon of bacon.*

C, post a, ut lac: vel post e ut Halec.

D, post i, ut David: & u, ut Bogud, propria virorum.

L, post quinque vocales: ut sal, mel, vigil, sol, consul.

N, post omnes vocales præter u, Titan, Siren, Delphin, Dæmon.

R, post omnes vocales cum y Græca, ut par, ver, Gadir, Cor, Fur, Martyr.

R, post omnes vocales cum y Græca, &, æ, ac au diphthongis: As, Pes, lis, flos, mus, Mys, proprium viri, genitivo Myos: æs, laus, fraus.

S, post sex consonantes, b l m n p r. Et rursum.

Bs, post omnes vocales, sed inter u mediat r: ut trabs, cœlebs, libs, i. ventus Africus: & quod y Græcum habet chalybs, scrobs, urbs.

Ls, post u, ut plus, mollis cibus, ex farina & lacte, vel caseo vel ovo & melle, qua pro pane veteres utebantur.

Ms, post e tantum ut: Hyems.

Ns, post omnes vocales præter i, cum y Græca, ut glans, dens, mons, Aruns proprium viri. Tiryns.

Ps, post omnes vocales cum y Græca, præter u: ut Lælaps, canis nomen apud Ovidium. Seps, Ips, i. vermiculus qui cornua vitesque prærodit. Ops, Dea terræ, Gryps, volucris maxima & rapacissima, *a Griphon*. Unum est habens r ante ps, quod est strips.

Rs, post omnes vocales, præter i: ut Ars, iners, mors, Tiburs.

T. post u tantum, ut caput, sinciput, occiput.

X. post omnes vocales, cum y Græca, & æ & au diphthongis, ut pax, rex, pix, nox, nux styx, fæx, faux.

X. post tres consonantes l n r.

LX. post a tantum, ut calx, falx.

NX. post omnes vocales præter e & o: ut Lanx, vas latum & rotundum, in quo caro aut aliud esculentum mensæ infertur, *a plate*. Meninx, septunx, Lynx, bestia quædam cum y Græca in posteriore syllaba.

RX. post a & e tantum: ut arx ab arceo, quia arcet, id est prohibet hostes accedere, *a castle*. Merx, res venalis, *merchandise*. Plaut. proba merx, facile emptorem reperit.

GENITIVORUM TERTIÆ FORMATIONES.

Semper *a* mittit *atis*. Vertes e per *is* genitivo.

Nomen in *a* facit genitivum addita *tis*, & omnia in *a* tertiæ, sunt nomina Græca neutri generis. Ideo more Græco faciunt in genitivo etiam *os*: ut Doma, domatis vel domatos: domus *an house*. Aroma, *spyce*. Dogma, *an opinion*. Thema, positum, aut positio, *a proposition*. Toreuma, *a graven work*.

Vertes e per is, &c. Nomen in e vertit e in *is* in genitivo: ut Mantile mantilis, *a servet*. Ovile ovilis, *a sheepfold*, Equile, *a stable*. Caprile, *a goat-lodge*. Bovile, *an ox stall*. Porcile, *a swine sty*.

Addito *nis* post *o*. Dat *inis* muliebre *do*, *goque*.
Virgo, *ordo*, *margo*, cum *cardine*, *Appollo*, *Cupido*,
Turbo, *homo*, ceu *nemo*; tamen *unedo postulat* onis.

Nomen in o facit *onis*: ut Aquilo aquilonis, *the north, or north wind*, Pero peronis, *an upland shoe*. Ex-

Excipiuntur à regula, fœminina in *do* & in *go*, quæ faciunt *inis*: Capedo capedinis, *a lame vessel*, Intercapedo, *a distance*. Libido, *lust*. Hirudo, *a loch leech*. Hirundo, *a swallow*. Salsugo salsus humor, *pickle*. Propago, vitis ramus terræ infixus, & progenies, *a linage*. Fuligo, *soot*. Albugo, *the white of the eye, or egg*. Croceum ovi, dicitur vitellus. Ferrugo, *the rust of Iron*. Ærugo, *the rust of brass*. Ferrugo est etiam panni similis color, *russet*, Item hæc dant, *inis*. Virgo Virginis, *a virgin*. Ordo ordinis. Item margo, cardo, Cupido, nota sunt ex generibus, Apollo, Sol. Turbo turbinis, *a whirle-wind*. Etiam quicquid acutum est deorsum turbo dicitur, à forma lusorii instrumenti, quo pueri maximè delectantur. Tibull.

Namque agor, ut per plura citus sola verbere turbo:
Quam celer assueta versat ab arte puer.

Homo nominis, nemo neminis. A fœmininis in *do* & *go*, unicum excipitur. quod est Unedo unedonis, *a crab tree*.

Enis habent *Anio*, *Nerio*. *Caro* dat tibi carnis.

Anio à nominativo rariore Anien obliquos mutuatur, est autem fluvius in agro Tiburtina. Nerio Nerienis, uxor Martis, Caro carnis, *flesh*.

Græca velut *Dido* muliebria, sic modo flectes:
Us capiat patrius: reliqui dant *o* bene casus.

Nomina Græca fœminini generis faciunt genitivum in *us*, reliquos obliquos in *o*, Dido didus, *Io Ius*. Sappho sapphus. Calypso Calypsus: Sic calisto, Pero, Drymo, Pantho, & cætera mulierum vel Nympharum propria & Dearum: velut Clio Clius, una musarum, Clotho Clothus, una Parcarum. Argo Argus, nomen navis. Veteres declinabant hæc nomina: ut sermo sermonis, quod Quintilianus non probat. O genitvi penult. producit, ut sermo sermonis, nisi apud græcos in *on* desinens corripiat. ut Agamemnon Agamemnonis, proprium viri. Sic Gentilia quædam, ut vangio vangionis, Saxo Saxonis &c. Inis corripitur, ut virginis. Enis producitur, ut Anienis, Nerienis, ab antiquissimis etiam correptum, teste Gellio.

Davidis, *halecis*, *lac lactis*, *Bogudis* effer.

Halec facit halecis penultima longa, Lac facit Lactis. David Davidis. Bogud Bogudis. penultima brevi.

Ad-

Additur *is* post *l*. Sed *lis* jungunt sibi *mel*, *fel*.

Nomina in l literam desinentia assumunt in genitivo *is*: ut Sal salis, Animal animalis, corpus sentiens. Hic & hæc animalis & hoc animale, ad animal pertinens, Vectigal, tributum vel redditus, *Toll*. Cic. Non intelligunt homines quantum vectigal sit parsimonia, Michael Michaelis, Bel Belis, Idoli nomen. Mel & fel addunt genitivo *lis*: ut Mellis, Fellis. Neutra in al cum el & sol penultimam genitivi producunt, ut animalis, Michaelis Solis, reliqua corripiunt, ut Hannibal Hannibalis, Hiempsal, Hiempsalis, Hasdrubal Hasdrubalis, propria virorũ. Sal salis, quãvis olim etiam fuerit neutrum. Vigil vigilis. Præsul præsulis.

Additur *is* post *n*. tamen *on* quandoq; dat *ontis*.
Donat *inis* neutrum, *pecten*, *flamen*, *cano* natum.

Nomen in *n* desinens facit genitivum adjecta *is* syllaba: ut Titan Titanis, frater Saturni, i. Sol. Pan, panis aut rectius Panos, quia Græcum est, ut a Genitivo hujus nominativi panis distet. Sic malim dicere in accusativo Pana quam panem. Delphin Delphinis, Agon Agonis. i. certamen, *a deadly conflict*. Canon, id est regula, *a rule*. Quidam in on faciunt genitivum in ontis: ut Phaëton Phaëtontis filius Phœbi, Charon Charontis portitor inferni. Acheron Acherontis, Phlegeton Phlegetontis, fluvii infernales. Pauca sunt ejusmodi nomina appellativa: ut Bison Bisontis, *a buffel or wild ox*. Chamæleon Chamæleontis, animal quod solo vento dicitur pasci, & herba quædam. Horizon Horizontis visus nostri terminus, *the utter bounds of our sight*. Neutra in *en* faciunt genitivum in *inis*, ut Numen numinis, Deus vel divina potestas, *the God-head*. Sumen & abdomen *swines-seam*. Gluten, *bird lime or glew*, Bitumen, *plaister*. Flamen, sive neutrum est pro flatu, *a blast of wind*. sive masculinum pro Sacerdote, flaminis facit, *a priest*. Sic pecten pectinis, & omne compositum a verbo cano: ut Tubicen, Liricen. *en* producit genitivi penultimam, nisi faciat *inis*: tum corripit. In producit genitivi penultimam. On, modo producit: ut Simon, Babylon, modo corripit: ut Dæmon, Canon: in paucis, variat, ut Ægæon, Orion: Certiorem regulam de on non habeo.

R capit is patrio, Far farris postulat, *Hepar*
Hepatos efficiet, *cris* mobile *cer* dat, ut *acer*,

Ac *Alacer. Bris* dant *imber* cum prole, *saluber*,
Et *celeber*. Per *tris ter* formes omne Latinum.
Et *pater & mater*, *linter*, Dat eris *later* : & *cor*
Cordis : *Iter tineris* : *Jovis* optat Jupiter usque,
Robur oris, *Iecur* atq; *femur* tibi præbet *ebúrque.*

Nomina tertiæ in *r* desinentia, adjiciunt genitivo *is*: ut Altar altaris, *an altar*, Specular, *a window*. Pluvinar, *a Cod.* Torcular, *a wine press.* Subliger, *a garter.* Agger, *a rampier or bulwark.* Rancor, *mowling or rottenness*, Mucor, *hair mowling.* Vapor, *vapour or smoak of the earth.* Fulgur fulguris, *fire-flaught* Sed fulgor est splendor.

Excipiuntur multa à regula. Nam Far gemino r facit farris, *all kind of corn.* Hepar hepatis vel hepatos, latinè jecur, *the liver* Tria adjectiva; Alacer, volucer, acer, faciunt *cris*, quibus addes mediocer si inveniatur : Acer pro arbore aceris facit. *Bris* dant saluber, celeber, imber, cum compositis September, October, November, quæ sunt mensium nomina. Imber, *a shower.* Omnia latina in *ter* faciunt tris: ut fratris, ventris, Uter utris, *a bottel.* Item tria Græca, Pater, Mater, & linter, Cætera in ter Græca, eris habent per regulam : ut Æther ætheris, *the fire or heaven.* Character, *a figure or mark*, Clyster, *a clister.* Crater, *a cup.* Later quamvis Latinum sit in *ter* desinens, non facit tris sed eris, *a tyle stone.* Cor Cordis facit. Iter itineris à nominativo olim usitato itiner. Jupiter facit Jovis, ab antiquo nominativo Jovis. Quatuor in *ur* faciunt *oris*: robur roboris, fortitudo & quercus durissimæ species, *strength.* Jecur jecoris vel jecinoris, tanquam à veteri nomine Jecinus, *the liver.* Femur Femoris, *the thigh* : ut femur anserinum, gallinaceum, annatinum, leporinum, cuniculinum. Ebur eboris, os vel dens elephantis, *Ivory*: At penultimam genitivi producit in neutris: Cum Nar, Demito nectar, jubar, hepar, par, quæ corripunt: & nomina in ar quæ non sunt neutra ut Cæsar Cæsaris. Er corripit penultimam, ut mulier, æther, aër. Cætera Græca producunt, veluti iber, crater, Character, Clyster, quibus unum latinum addes, quod est Ver. Ir corripit, ut Gadir, Martyr. Or producit penultimam genitivi, ut Color, Soror. Tolluntur æquor, marmor, memor, arbor, bicorpor, tricorpor, indecor, dedecor & si qua sunt ejusdem derivationis alia

cum

cum Græcis: ut Hector, Antenor, Rhetor, & Castor, tam appellativum quam proprium. Author tamen producit tantum. Ur corripit tantum: ut Fulgur, guttur. Excipitur unum, quod est fur furis.

As interponit ti. *Mas* maris, *as* dabit assis,
Hoc *vas* vasis habet. *Vas* hic vadis. *Antis* habento,
Mascula Græca: volunt per *adis* non mascula poni

Nomen in as desinens facit genitivum, interponendo syllabã *ti* inter *a* & *s*: ut Simultas, simultatis, *privy hatred.* Pravitas pravitatis, *wickedness.* Æquitas *righteousness.* Mæcenas, optimi viri nomen, qui Virgilium Horatiumq; & alios doctos opibus juvit. Hinc docti, dites patronos Mæcenates appellant. Mart.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, *Marones.*

Excipiuntur à regula Mars Maris, As assis, hoc vas vasis: hic vas vadis, & græca masculini generis, quæ faciunt antis: ut Elephas elephantis. Sic Gigas, Adamas: Atlas, Pallas, Pallantis vel Pallantos, Evandri filius, &c. Reliqua græca non masculini generis faciunt adis vel græcanicè ados, ut Pallas Palladis vel Pallados, Dea spientiæ, *the Goddess of wisdom.* Hic aut hæc Arcas arcadis vel arcados, cyclas cycladis, *a womans gown* Hebdomas numerus septenarius: Latine septimana, spatium septẽ dierum *a week.* Decas numerus denarius. Olympias, lustrum sive quinquennium, *five years space.* Lampas, *a lamp.* As producit penultimam genitivi; ut Mæcenatis, nisi Anas anatis, *a duck,* Corripiuntur cum isto maris, Vadis, & quæcunq; adis habent.

Es mutabis in *is*. Græcus dat multa per *etis*:
Adde *quies locuples, mansues*; Per *etis teges* exit,
Et *seges, interpres, præpes, paries*que, *abies*que,
Indiges, atque *aries, perpes, teres,* ac *hebes addo.*

Nomen in es desinens mutat *es* in *is*; ut Labes labis, *a blot.* Strages. *a discomfiture or overthrow.* Ventus fecit stragem arborum: Cædes, *slaughter.*

Excipiuntur à regula multa Græca, quæ habent *etis* penult. longa, ut Tapes tapetis; Sic Cres, lebes, magnes, & plurima propria virorum: ut Chremes, Hermes, Laches, Thales, Horum quædam manent quandoq; sub regula, ut Chremes, hujus Chremis, vel Chremetis. Terent. *Puerum inde abiens convenit Chremis.* Idem. *Chremetem salvere jubeo,* His aduntur

La-

Latina, Quies, queitis, *rest*. Locuples locupletis, dives, quasi loculorum plenus, *rich*. Mansues mansuetis, *meek*.

Quædam faciunt *etis* penultima brevi, ut Teges tegetis, *a mat*. Seges, *growing corn*. Interpres, *an interpreter, or Trench man*. præpes altè & sublime volans, *light in flying*: Abies, *a fire tree*. Indiges, homo post mortem inter divos relatus. Perpes i. perpetuus, *continual*, Teres rotundus cum longitudine, *round and long*. Hebes, *dull*.

Dic *verres verris*, *vates vatis*. Per itis fit
Communis generis non dictum, sive marini.
Pes dat *edis*. Natum *sedeo* dat *idis*: volet *edis*
Hæres, ut *Merces*: Cererisque *Ceres* retinebit.
Æs æris, *præs prædis* habet: diphthongus utriq; est.

Verres facit verris, vates vatis, *a Prophet or Poet*. Reliqua masculini generis aut communis, de quibus nihil dictum est mutant *es* in *itis* penult. brevi, ut poples poplitis, Miles militis Sed pes facit pedis, sic composita, compes, bipes, &c. Composita a sedeo faciunt *idis* penult. brevi. Obses obsidis, qui vel quæ ob fidem pignori datur, *a pledge*. Deses, *sweir*. Claud. *Desidis aurigæ non audit currus habenas*. Hæres facit hæredis penul: longa. *an heir*. Merces mercedis penult: longa, *a reward*. Juvenal. *Nosse volunt omnes mercedem solvere nemo*. Ceres Cereris, Dea frugum, *the Goddess of the corn* Æs æris, præs prædis, diphthongon æ habent, præs, est fidejussor in lite nummaria *a cautioner*, Auson. *Quis subit in pœnam capitali supplicio? vas.*
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

Is non mutabo, dant *dis*, *cuspis*, *lapis*, atque
Plurima Græca: Facis per *ios*, vel *eos*, vel *yos*, vel
Entis Græcorum quædam. *Charis* at *charitis* vult.

Nomen in *is* habet genitivum similem nominativo: ut hæc vis hujus vis, significat virtutem fortitudinem & violentiam, Hic panis hujus panis, sic ovis, pestis, vestis, &c.

Excipiuntur lapis & cuspis, quæ abjecta *s* litera capiunt *dis*: ut lapidis, cuspidis, Cuspis, *the point of a spear*. In *idis* vel *idos* genitivum faciunt plurima Græca, ut Cassis cassidis, fœminini generis, id est galea, *an helmet*. Aliud est nomen masculini generis non crescens. Hic cassis, hujus cassis, id est rete, *a net*.

Aſpis aſpidis, *a kind of ſerpent.* Pyxis, *a box.* Pyramis, *an high tower ſmal above.* Chlamys per *y* Græcum veſtis militaris, *a ſouldiers cloke.* Paropſis, *a plate.* Abſis abſidis, curvatura vel arcus in muro & rotæ teſtudo in qua figuntur radii, *the round of a cart wheel.* Syrtis Syrtidos, aliquando etiam Syrtios, locus in mari periculoſus propter multitudinem arenæ, *dangerous ſands in the ſea.* Item *idis* habent nomina in *is* patronymica & formam patronycorum habentia uti ſunt in *is* librorum nomina: ut Æneis, Thebais, Achilleis. Et gentilia: ut Colchis, Sunamitis, Moabitis. Et omnia fœminina quorum maſculina in *a* vel in *es* deſinunt: ut Poëtis, Prophetis, Nautis, &c. Item nomina virorum, ut Paris, Adonis, Daphnis, Alexis. Item mulierum propria: ut Myſis, Lais. Quædam fluviorum nomina: ut Tybris, Phaſis, Tigris, tam pro animali velociſſimo & truculentiſſimo, quam pro fluvio, in genitivo Tigridis vel Tigris. Sic plura poſſunt genitivum nominativo ſimilem habere: ut Adonis hujus Adonidis vel Adonis, Paris hujus Paridis vel Paris

Dixi notanter, plurima Græca, non omnia, quia multa genitivum nominativo ſimilem efficiunt: ut Tyberis triſyllabum hujus Tyberis, & eſt idem quod Tybris. Charybdis, quidam periculoſiſſimus in mari locus, *a dangerous place in the ſea.* Lacheſis, una Parcarum. Charis peculiarem formam habet faciens Charitis, ſed rarius in ſingulari numero reperitur. Tres enim erant Charites à Latinis Gratiæ dictæ. *Facis,* &c. Quædam Græca faciunt genitivum in *eos* vel *ios*: quædam etiam in *yos* per *y* Græcum: pauciſſima in *entis*, De *eos* vel *ios*: ut Metamorphoſis, Metamorphoſeos vel Metamorphoſios, Metamorphoſis eſt transformatio, *a change.* Hæreſis, ſecta, *a Sect.* Polis, urbs, *a town.* Hinc Nicopolis, Heliopolis, Conſtantinopolis, &c. Poëſis opus Poëticum. Geneſis, generatio, *a genealogie.* Baſis, *a pillar.* Paræneſis, admonitio, *an adverliſement.* Nemeſis, Dea ſuperborum ultrix. Quæ omnia Latinis ſine creſcentia nonnunquam efferuntur, De *yos*: ut Chelys Chelyos, *an harp.* Erinnys Erinnyos furia infernalis. Tethys Tethyos, eſt Dea maris, uxor Oceani. At Thetis Thetidis cum aſpiratione in prima & *i* Latino in ſecunda ſyllaba, mater fuit Achillis. Tiphys viri nomen, ut Capys. De *entis*, ut Simois Simoentis, fluvius Troiæ. Pyrois Pyroentis, unus equorum Solis.

Quod dedit *er*, dat *eris* quod in *n* fuit, ut prius effer.

Pauca nomina in *is*, faciunt genitivum in *eris*: quia olim ter-

minabantur in *er*: Pulvis pulveris. Cinis cineris. Olim pulver, ciner. Vomis eris, vel etiam nunc vomer vomeris. Itaque in his tribus, proprii obliqui exoleverunt. Duo sunt in *is* vel in *r* desinentia pro utraque terminatione proprios obliquos retinentia, ut hic Cucumer, hujus cucumeris, cucumis, hujus cucumis. Hic hæc hoc puber, puberis, vel hic & hæc pubis & hoc pube, hujus pubis, id est maturus ad generandum, *ripe of age to engender*. *Quod in n fuit.* Nomina in *is* desinentia quæ etiam in *n* literam desinere reperta sunt, servant regulam de *n* litera; ut Sanguis facit sanguinis penultima correpta, quia olim dicebant hoc sanguen, hujus sanguinis. Pollis pollinis, quia etiā dicunt pollen pollinis. Multa Græca faciunt genitivum in *inis* penultima longa, quia nominativus per *in* efferri potest: ut Delphis Delphinis, Eleusis Eleusinis, oppidi nomen: ut Salamis, Salaminis, quia dicimus etiam Eleusin, Salamin, Trachys vel Trachyn cum *y* Græco Trachynis, Bœotiæ urbs: Sic Phorcys phorcynis proprium viri, & Atys Atynis.

Dis, *lis*, dant *itis*, cum *Samnis*: junge *Quiritem*.
Glis solum *gliris*, *semis* semissis habebit.

Quatuor in *is* habent *itis* penult. longa: ut Dis Ditis: Lis litis, *discord*. Samnis samnitis. Quiris quiritis, gentilia nomina. Hic & hæc Dis, & hoc dite, id est dives, invenitur rarius, *rich*. Glis pro animali gliris facit, *a ratton*. Glis glitis pro tenaci terra, & glis glissis pro lappa, barbara sunt. Semis à semi & as (est enim dimidium assis) semissis facit. Is genitivi penultimam in crescentibus corripit: ut lapis lapidis. Tolluntur in *is* quorum nominativi terminatio etiam est in *in*: ut Delphis, cum Psophis psophidis, oppidi nomine, & Crenis Crenidis, Nymphæ nomine. Et lis, dis, samnis, quiris, glis, simois, pyrois.

Os ti interponit. *Glos*, *mos*, *flos*, *ros* facit *oris*.
Quod dedit *or* faciet veluti prius. Ossis *os* optat.
Os oris, *Custos custodis*, *Bos bovis*: *Ois*
Thos, *Minos* & *Tros* capiunt: quibus additur *heros*

Nomen in *os* facit genitivum interponendo syllabam *ti* inter *o* & *s* & ita facit *otis*: ut Cos cotis, Sacerdos sacerdotis, Sic Dos, Nepos, Monoceros, id est, Unicornis, bestia in fronte cornu habens, *an Unicorn*. Rhinoceros, animal in naso cornu habens. Excipiuntur à regula glos, mos, flos, ros, quæ faciun

oris: ut gloris: moris, floris, roris. Glos est mariti soror vel fratris uxor, *a good sister*. Mos. *an use*. Flos, *a flower*. habent etiam oris quæ in or quoq; desinunt: ut Odos odoris. Vapos vaporis vapor, fumus ex humidis calefactis surgens. Lepos Leporis vel lepor, id est venustas vel jucunditas in factis aut verbis, *a pleasant saying or doing*. Honos vel honor, *honour*. Cic. Honos alit artes, Arbos vel arbor, *a tree*. Virg. *Nunc omnis parturit arbor.*

Os ossis, & os oris satis patent. Ita & custos custodis, Bos bovis. Quædã Græca faciunt genitivum *ois* penult. longa, ut Thos Thois, animal ex luporum genere, Minos minois. Cretensium Rex fuit justissimus, ideo à Poëtis dicitur esse animarum Judex. Tros Trois fuit Trojæ Rex & capitur pro Trojano persæpè apud Virgilium, Heros, homo nobilissimus, *a noble and excellent man*. Quales dicuntur fuisse Hercules, Hector, Perseus Talis fœmina dicitur Herois heroidis, vel herione heriones. Os otis, & oris producuntur undiq; præter compos compotis, & arbos arboris, custos custodis producitur, corripitur vero bovis,

Us tibi mittit *oris*, *Pejus* ceu pejor habebit.

Us facit *oris* penult. brevi: ut Corpus corporis. Comparativa faciunt *oris* penult. longa. Ut ea quæ in *or* desinunt, velut, pejus pejoris. Exempla principalis regulæ pauciora ferme sunt quam ea quæ excipiuntur, sed quia parum interfuisset, nolui mutare regulam. Exempla itaque sunt, Lepus leporis Frigus frigoris. Corpus, *a body*. Decus, *honesty*. Dedecus, *dishonesty*. Littus, *the shoar*. Fœnus *ocker*. Aliquando pro quocunque lucro ponitur, Tempus, *Time. or the temple of the head.* Virg. *Cava tempora pulsat.* Nemus *a wood*, Pectus, *the breast*. Tergus, *an hide*. Virg. *Tergora deripiunt costis & viscera nudant.*

Tergum vero est dorsum, *the back*. Facinus, factum sive bonum, sive malum, *a deed*. Ter. Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile. Pecus pecoris, quando est neutri generis, fœminini generis, pecudis facit. Pignus & fœnus etiam faciunt eris, sed utrumque rectius habet oris. ut sequitur.

Dant eris *bulcus*, *olus*, *vellus*, *venus*, & *genus* atque
Viscus, *acus*, *fœdus*, *scelus*, & *cum pondere vulnus*
Munus, *onus*, *sidus*, *latus*, ac *opus*, & *vetus addo*,
Et *fœnus*, *rudus*. Sed *oris* vel *eris* dare *pignus*,
Ut *fœnus* dicunt: melius per *oris* fit utrumque

Quædam nomina in *us* mutant *us* in *eris* penult. brevi, ut hulcus hulceris, *a byle*. Olus, *cail, or all kind of herbs eatable*. *V*ellus velleris, *a fleece of wool*. *V*enus veneris, Dea amoris. Genus generis, *a kind or kindred*. Genus mortis, genus vitæ, viſcus viſceris, *the bowel*. *V*iſcus & viſcum, ſecundæ, *glew*. Acus aceris, *chaff*. Fœdus, *a paction or band*. Scelus, *a great crime*. Pondus, *a weight*, *V*ulnus *a wound*. Munus *a gift or office*.

*V*irg. *Suſceptum perfice munus*. Onus, *a burden*. Sidus *a ſtarr*, Latus, *the ſide*. Opus, res facta: ut carmen eſt opus Poëtæ, *a work*. *V*etus, antiquus *old*. Hinc vetulus, vetuſtus. Funus, cadaver & exequiæ & mors, *a burial*. Rudus, *a lump of fallen ſtones*. Pignus, *a pledge*. Et pignora per metaphoram filii dicuntur.

Ovid. *Dulcia ſollicitæ geſtabant pignora matres.*

Item pignus eſt quod deponitur apud ſequeſtrum. *V*irg.

---*Tu dic mecum quo pignore certes.*

Uris habet *tellus*, veluti monoſyllaba: *grus*, *ſus*,
Dant *uis*. *Intercus* dat *utis*, *Liguris ligus* optat.
Dat *pecus* hæc *pecudis*: loca græca feruntur in *untis*
Pus ortum dat *odis*: *ſubſcus*, *incus*, *palus*, *udis*.
Utis fœmineum reliquum, *Laus*, *frauſq* dat *audis*.

Tellus & monoſyllaba in us, habent uris penult. longa, ut Tellus telluris. Dea terræ: & ipſa terra, *the earth, or the Goddeſs of the earth*. Jus juris, quod natura, aut civitas, aut gens jubet: & liquor eorum quæ coquuntur, *the broath of any ſodden thing*. Hinc jurulentus & juſſulentus, jure coctus: caro jurulenta, quæ cum jure apponitur: ſic piſcis jurulentus, pus puris, *worſom*. Contra monoſyllabarum regulã grus gruis facit, ſus ſuis, Intercus intercutis, morbus inter cutem latens, *hydropſie*. Ligus proprium viri aut aliquis ex Liguria, in his penult. genitivi corripitur. Quædam græca nomina locorum mittunt genitivum in untis. Opus Opuntis Achaiæ oppidum. Hydrus Hydruntis alterius oppidi nomen. Cic. Ad Hydruntem ludibundi pervenimus. Eodem modo habent Anthemus, Ceraſus, Trapezus, Hiericus, *P*hycus, Philus, Amathus, Sipus, & plura, ut ex Poëtis Hiſtoricisq; cognoſces, Compoſita à pus, id eſt pes, Græca ſunt, & faciunt in genitivo podis penultima brevi, ut Tripus tripodis, Oedipus, Oedipodis. Dicitur etiam Oedipus Oedipi. Plaut, Iſti orationi, Oedipo conjectore opus eſt,

qui Sphingi interpres fuit. Tria faciunt *udis* penultima longa. Incus incudis, Subscus subscudis, palus paludis. In quo nomine posteriorem syllabā *us*, in versu correptam esse intelliges vel quia uti opportuit licentia, vel *s* literæ interemptione, juxta veterum morem. Reliqua in *us* fœminini generis faciunt utis penultima longa: ut virtus virtutis. Sic salus, juventus, &c. Fraus fraudis, laus laudis.

Vult *i* seri medio *b*, *p*, (si præit *s*) genitivi.

Nomina in *bs* aut *ps* faciunt genitivum interponendo inter *bs* aut *ps* vocalem *i*, ut trabs trabis, stips stipis, numulus, *a penny*, ut pauper mendicat stipem.

E per *i* mutabunt polysyllaba: dat *cupis Auceps*

Polysyllaba habentia *e* antè *bs*, aut *ps*, mutant *e* in *i* brevi in genitivo: ut particeps, participis, cœlebs cœlibis, vivens absq; conjuge, etiamsi caste non vivat, *an unmarried man or woman*. Horat. lib. Epist. 2. v. 88. *Melius nil cœlibe vita*. Hic adjectivi naturā habet. Secus est de monosyllabis: ut seps sepis. Auceps autē facit aucupis, & est qui aves capit, *a fowler*.

Dic *hyemis*, *pultis*, *capitis*. *Cipitis* dabo proli.

Hyemis, pultis, capitis, genitivi sunt ab hyems, puls, caput. Composita à caput faciunt cipitis sive in *t* desinunt: ut sinciput, occiput, cipitis: sive in *ps*, ut Anceps ancipitis, Biceps bicipitis, præceps præcipitis. Anceps est dubius vel incertus, *doubtsome* Anceps gladius, utrinque scindens, *a two edged sword*, Præceps, in caput deorsum cadens, aut inconsideratus & nimium festinus, *falling downward, or hasty*.

Ns aut *rs*, *s* demens, *tis* dabit apte.

Nomina in *ns* aut *rs* faciunt genitivum dempta *s* & addita *tis* ut animans animantis, Ars artis. Duo sumunt aspirationem in obliquis, ut Tiryns Tirynthis, Herculis patria, & Elmyns Elmynthis, vermiculus in utero puerorum.

Dis vult *glans*, *nefrens*, capitis *lens*, & folium *frons*,
Libraq; cum *pendo*, & quod *cor* faciet tibi nomen.
Untis habento *quiens* & *iens*, legem *ambio* spernit.

Pauca nomina habent *dis* ut Glans glandis. Sic compositum ejus Juglans juglandis facit: dicitur quasi Jovis glans, *a walnut*, Glans, *an accorn*. Ovid. *Quernea glans victa est utiliore cibo*. Nefrens nefrendis, porcellus est teste Varrone, per æta-

tem

tem fabam frendere; id eſt frangere nondum potens, *a little grise.* Lens lendis pro pediculi pullo, *a nite,* Ut lendinoſus, cui multæ ſunt lendes, *full of nites.* At pro Legumine quodam lens lentis dicimus, Unde lentigo macula faciei ad lentis ſimilitudinem, *a fairnticle.* Lentiginoſus, *fairntickled.* Frons frondis, folium eſt, *the leaf of a tree.* Frons frontis, capitis pars anterior à radice capillorum, uſq; ad ſupercilia, *the forehead* Libripens à libra & pendo pro pondero, eſt militum ſtipendiorum, hoc eſt ſtipis ponderandæ penſator, teſte Plinio, *a weigher,* Compoſita à cor, miſericors, miſericordis, concors, diſcors, & vecors, id eſt ſtultus.

Untis habento quiens, &c. Quod dictum eſt de nominibus in *ns* intelligendum eſt etiam de participiis ejuſdem terminationis, quæ eodem planè modo rejecta *s* addunt *tis,* ut amans amantis, timens timentis. Excipiuntur duo non tantum *s* in *tis* mutantia. Quiens quieuntis: qui quit, id eſt poteſt, iens euntis. Sic nequiens nequieuntis, rediens, rediuntis, & cætera verborum ab eo compoſitorum participia. Sed ambiens ambientis facit contra legem compoſitorum.

X in *cis* muto. Per *gis, lex, frux, aquilex, Rex,*
Grex, remex, flecto: cum Græcis addito multis,
Impetigem. Conjunx n tollens conjugis edit.

Nomen terminatum *in x* mutat *x* in *cis* in genitivo: ut Arx arcis, Merx mercis, Radix radicis, *a root,* Pollux viri proprium.

Excipiuntur a regula quæ *gis* pro *cis* faciunt: Lex legis, jus ſcriptum, *the Law,* Frux frugis. *all kind of eating fruit.* Per Metaphoram transfertur etiam ad alia. Quint. Illud ingeniorum velut præcox genus non temere unquam pervenit ad frugem. Aquilex, aquilegis, *a well maker.* Rex regis, Grex gregis, Remex remigis, qui remigat, id eſt remos agit. *a rower with oares,* Remus, *an oare,* Impetix, ſive impetigo, *a ring worm.* Et ab impetu nomen habet. Serenus.

Si vero vitium eſt quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere ſaliva.

Conjunx conjugis *n* habet nominativus, quā genitivus abjicit.

Cum græcis addito multis, &c. Sumunt etiam *gis* vel *gos,* ſuo more plurima Græca: ut Oryx orygis, vel orygos: Sphinx ſphingis vel ſphingos, animal eſt piloſum, quod quia homini non abſimile eſt, inter ſimias ponunt. Vulgatum ſphingis extat ænigma animal eſſe quoddam mane quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes, quod de homine interpretatus eſt Oedipus.

E per i mutabunt polyſyllaba: quam retinebunt
Myrmex & *vervex*, *aquilex*, *halexque*, *reſexque*
Atque *lelex*, *Celex*, ctilis optat habere *ſupellex*.
Dic *ſenis* & *noctis*, *nivis*. Actis paucula ſervant,
Teſtis *Hylax*, ſolumque *Briax* formatur in axis.

Polyſyllaba in *ex* mutant *e* in *i* in genitivo ſingulari: ut Remex remegis. Apex apicis id eſt rei ſummitas: ut apex literæ, apex galeri, apex ſcientiæ. Vortex vorticis pro quo nunc ſæpius vertex verticis dicitur: eſt, teſte Quint. Contorta in ſe aqua, *a whirle pool*. vel quicquid aliud ſimiliter vertitur, ut ventus. Hinc transfertur ad montis, aut capitis ſummitatem *the top of an hill*, *or crown of the head*: Caudex caudicis, ſive codex codicis, *the ſtock of a tree or a book*. Monoſyllaba retinent *e*, ut Lex, Rex. pauca polyſyllaba etiam retinent *e* Myrmex myrmecis, ſervi nomen apud Apuleum, vervex, caſtratus aries, *a wedder*. Aquilex aquilegis, Halex halecis. Reſex reſecis, id eſt ſubſidarius palmes, *a cutted vine branch*. Lelex lelegis, viri & populi proprium eſt. Celex celecis penult. longa fluvii nomen, Supellex duplex incrementum habet, facitque ſupellectilis, Senex ſenis, nox noctis, nix nivis. Pauca Græca faciunt actis: ut Hylax hylactis, canis nomen. Aſtyanax, Hectoris filius. Unum invenio habere *axis*, ut Briax Briaxis, ſtatuarii nomen, qui & Briaxis à Plinio vocatur.

Tertius *i* præbet. Quartus fit in *em* tibi caſus.

Dativus fit in *i*, acuſativus in *em*, ut huic pani, hunc panem.

Creſcentem Græci per *a* quartum ſæpe dedere.

Nomina Græca quorum genitivus creſcens in *is* vel in *os* non purum deſinere poteſt, accuſativum ſimiliter creſcentem ſæpè in *a* faciunt: ut Pæan, i, Apollo & hymnus in laudem Apollinis, vel alterius, hujus Pæanis, vel Pæanos, hunc Pæanem vel Pæana, Lichen Lichena, Dæmon Dæmona, Aër aëra. Crater cratera, Martyr martyra. Quædam licet genitivum in *is* vel *os* purum faciunt, nihilominus habent *a*: ut Heros herois vel heroos, hunc heroem vel heroa, Sic Tros Troa. Minos Minoa. Hujuſmodi accuſativus in *a*, vertitur aliquando in nominativum primæ declinationis fœminini generis: ut hæc hebdomas, hanc hebdomoda, hæc hebdomada, hujus hebdomadæ

Sic

Sic æthera, lampada, cratera. Plau. Tene hanc lampadem
Im dat *vis*, *cucumis*, *ravis*, *tussis*, *sitis*, atque
Plurima *Græca*, quibus rectus fit in *is*: sed & *in* dant
Pauca nomina habent solum *im*; ut vis vim, cucumis cucumim ravis ravim, *hoarsneß*, Tussis tussim, *the hoist*. Sitis, *thirst*. Plurima in *is* Græca faciunt accusativum singularem per *im* vel *in*. Talia sunt Alexis, Alexim vel Alexin, & alia virorum propria multa: ut Daphnis, Adonis, Paris. Quædam nomina mulierum, ut Isis, Mysis, Chrysis. Quædam nomina fluviorum: ut Phasis, Tybris, vel Tyberis, Albis, plurima appellativa, ut Pthisis, *consumption*. Pleuritis, *the Pleurisie*. Diœcesis, *a Diosie*. Multa eorum quæ dis in genitivo habent, faciunt etiam accusativum crescentem in *da* vel *dem*: ut hic Paris, hunc Parim vel Parin vel hujus Paridis, hunc Paridem vel Parida. Sic Tigris tigridis, Adonis, &c.
Em dat & *im buris*, *pelvis* cum *clave*, *securis*,
Et *puppis*, *turris*, *restis*: sic *febris*, *aqualis*,
Sic *pestis*, *navis*, *torquis*, conjunge *bipennim*.
Quædam habent *em* vel *im*: ut Buris hanc Burem vel Burim Clavis, clavem vel clavim, Buris, *the stilt of a plough*. Pelvis *a bason*. Securis, *an axe*: Puppis, *the hinder part of a ship*. Turris, à terrendis hostibus, *a tower*. Restis, funis dicitur, quod quæcunque ligata stare faciat, *a cord*. Febris, *a fever*. Pestis, sæpius pestem facit, *the pest*. Navis, *a ship*. Bipennis, *a two edged chessel*.
Vocativus cujusunque generis cum accusativo neutri generis, cognoscuntur ex regulis generalibus. Nunc ablativum enucleabo. Habet autem maxima pars nominum tertiæ declinationis e solum in ablativo singulari, quædam *i* solum, nonnulla, e & *i* simul. Principalis igitur regula est hæc.
Sextus *e* donabit, ceu *pauper*, *sospes*, & *hospes*:
Mobilibus reliquis *e* vel *i* dabo: *plus* cape pluri.
Quod si sit neutrum per *e*, tantum sextus in *i* fit
Ut *dulcis dulci*: per *e* dat quandoque Poeta.
Ablativus in e desinit: ut vesper vespere, lux luce, tempus tempore, rus rure, sacerdos sacerdote. Hospes hospite, qui vel quæ hospitio recipit, aut recipitur, *an hostler or guest*.
Ovid. *Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus*.

Pauper paupere, *poor*. Papin. *Pugna est de paupere regno.* Sospes sospitis, sanus: plus facit pluri tantum. Omnia adjectiva præter pauper & sospes, faciunt ablativum in e vel in *i*, ut degenere vel degeneri: Hubere vel huberi, Hinc excipiuntur ea, quorum nominativus neutri generis *e* habet, quæ ablativũ in *i* solum mittunt: ut hic & hæc dulcis & hoc dulce, ablativo dulci. Hic campester hæc campestris & hoc campestre, ablativo campestri, poetæ tamen metri causa quandoque *e* pro *i* ponunt. Ovid. in epist. Parid. Ad Helen. 15. v. 176.

Hoc mihi (nam recolo) fore ut à cœleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.

Notanda est Servii Prisciani regula: Substantiva adjectivis penitus similia servant *e* tantum: ut Juvenalis, Martialis, Fœlix, Clemens, Laterensis, Salutaris & similia virorum propria Idem est de appellativis. Volucris adjectivum volucri facit, Volucris substantivum volucre habet, Horum tamen quædã, quia ab adjectivorum natura penitus non deficiunt, inveniuntur etiã habere *i*, ut Annalis, annale vel annali, liber est annorum gesta continens, *a Chronicle*. Et sæpius in plurali reperitur. Sic rivalis rivale vel revali, qui cum alio eandem amat, *a breek-brother*. Ea in quibus substantivum certum ilico intelligitur, vix *e* poterunt habere: Itaq; molaris, abl. molari solum: Sic natalis, auricularis, ædilis, consularis, sodalis, familiaris, &c. Composita in ablativis non sequuntur simplicium regulam, quia misericors, tricuspis, inops & similia adjectiva *i* vel *e* servant, cum simplicia solum faciant *e*, Confinis & affinis *i* tantum, ut dulcis, licet finis & *e* & *i* habeat.

Al vel *ar*, *i* neutris tantum dat, sicut *e*: præter *Sal*, *jubar*, & *nectar*, *far hepar:* ait *mare* vates.

Nomina neutri generis in *al*, vel in *ar*, vel in *e* desinentia, faciunt ablativum tantum in *i*. animal animali, torcular torculari, Cubile cubili, Monile monili, *a neck chain*. Tolluntur sal, sale, Jubar jubare, nectar nectare, Far farre, Hepar hepate, Rete facit reti, quod satis indicat plurale retia, ablativum verò rete à masculino nomine retis esse volunt, ut hos ablativos Gausape. Præneste, Soracte, Præsepe. à nominativis minus usitatis, Gausapes, Prænestis. Soractes. Præsepis. Poetæ interdum *e* pro *i* ponunt. Ovid. Trist. lib. 5. El, 2.

Exiguum pleno de mare demat aquæ.

Mensibus *i* tantum est, ut queis dat quartus *in imve*
Sextus *e* donat & *i*, cum quartus in *em* vel in *im* fit.

Nomina mensium faciunt abl. in *i*: ut Aprili, Quintili, Sextili, Septembri, Octobri, Novembri. Decembri. simplex tamen imber habet *e* vel *i*, ut patebit. Nomina in *is*, quorum accusativus solum in *im* desinit, vel in *im* & *in*, non autem in *em*, faciunt abl. *i* solum ut hæc vis, hanc vim. abl. hac vi. Hæc hæresis: hanc hæresim, vel hæresin, abl. hac hæresi, quæ vero habent *em* vel *im* habent *e* vel *i* ut febre vel febri, turre vel turri, sic *e* vel *i* capiunt in abl. nomina Græca, quorum accusat. habere potest *em* vel *im* more Latino, & *a* vel *in* more Græco: sed ablativus in *e* genitivi crescentiam sequitur, non ablativus in *i*: ut Tethys, hujus Tethyos, hanc Tethyn vel Tethya. Abl: hac Tethy vel Tethye, Hic Paris hujus Paris vel Paridis, & Paridos, hunc Parim vel Parin, Paridem vel Parida, Abl: hoc Pari vel Paride.

I vel *e* dant *finis*, *fustis*, *pugil*, & *vigil*, *imber*,
Unguis, *avis*, *postis*, *vectis* cum *nepte*, *supellex*,
Atque *tridens*, *classis*, cum *civis* & *amnis* & *ignis*:
Sic anguis, *strigilis strigili*, vix *strigile* dicam.

Nomina hic posita habent *e* vel *i* in ablativo: sed sæpius *e*. Pugil qui vel quæ pugnandi artem novit, *a champion*. Vigil, qui vel quæ vigilat, *a watch*. Tridens sceptrum Neptuni trisulcum, *a three forked scepter*. Classis, navium multitudo est, *a navy of ships*. Sed metaphorice transfertur etiam ad alia. Strigilis est instrumentum dentatum, à stringendo nomen habens, abraduntur enim eo sordes & sudores, sive hominum in balneis, sive jumentorum in stabulis, *an horse comb*. Horat. *Furtivâ mutat strigili.*

DE PLURALI NUMERO TERTIÆ.

Rectus in *es* fiet pluralis, jungito quartum.

Nominativus pluralis cui vocativus similis est, cum accusativo in *es* desinit: ut *hi* & *hos* & *O* homines, Fit autem hic casus à genitivo singulari, mutando *is* vel *os* in *es*: ut Ibis, ibidis, ibides. Ibis, hujus ibis, ibes. Tigris, tigridis, tigrides, tigris, tigres.

Cum genitivus *ium* dat, quartus in *eis* quoq; fiet.
Tralleis & *Sardeis es* spernunt. Quartus in *as* fit.
Dum per *a* quartus erat, ceu *Dæmonas* atq; *Gigantas*.

Nomina

Nomina quorum genitivus pluralis in *ium* desinit faciunt pleraque accusativum per *eis* : ut pars partium, has partes vel parteis. Sic treis, omneis, acreis. Tralleis, & Sardeis Græca oppidorum nomina pluralis tantum numeri, nec nominativo nec accusativo *es* habere leguntur.

(*Quartus in as fit*, &c.) Quando accusativus singularis in *a* desinit, accusativus pluralis in *as* terminari potest, ut hanc lampadem vel lampada, has lampades vel lampadas. Sic Dæmones vel Dæmonas, Gigantes vel Gigantas. Heroes vel Heroas, nihil de neutris locuti sumus. Nam per regulam generalem habent *a* in nominativo, accusativo, & vocativo plurali : sed quoniam alia quædam habent *ia*, ut animal animalia, alia, non, ut corpus corpora, de his pauca afferam.

Quod dedit *i* sexto (nisi comparat) hoc *ia* ponit.
Vult *ia plus* raro, nunquam *vetus*. Effer *aplustra*
Vel *stria*. Si solum dat sextus *e*, non *ia* pones.

In nominibus neutri generis si ablativus desinebat vel in *i* solum, vel in *e* & *i*, simul, tunc nominativus, accusativus & vocativus plurales habent *ia*, ut mare, Abl. mari hæc maria, ô maria Fœlix, ablat. fœlicè vel fœlici, hæc fœlicia, O fœlicia. Comparativa tantum *a* faciunt, ut meliora, dulciora. Sic vetus vetera non veteria, plus plura, & aliquando pluria unde cōplura & compluria, aplustre aplustra, vel aplustria, est ornamentum navis in cacumine mali, *a tackling of a ship*, Quæ ablativum singularē solum in *e* terminant, *a* faciunt: ut Dogmata, corpora: Gausapa vero non à gausape. sed gausapum esse memineris.

Um vel *ium* patrio Latium dat. Græcia vult *on*.

Genitivus pluralis tertiæ declinationis habet Latine *um*: ut patrum, vel *ium*, ut partium, Græce etiam habet *on*, ut Epigrammaton, Hæreseon.

Præbet *ium* patrius, si sextus in *i* fuit ante.

Genitivus pluralis in *ium* desinit, si ablativus singularis habuerit *i*, sive, *i* solum, sive *i* & *e* simul : ut hoc Ancile, Abl. hoc ancili, horum ancilium : fuit scutum breve & rotundum, *a round bukler*. Monile monilium, Animal animalium, sic nostratium, vestratium, imbrium, ditium, clavium concordium, fœlicium, prudentium, amantium, legentium, &c. quædam per Syncopen *um* faciunt, maxime ea quæ in *ns* desinunt, ut prudens, innocens, amans.

Tolle *vigil*, *supplex*, *opifex*, *vetus* & *pugil*, & *quod*
Comparat (excepto *plus*) *artificem*, *strigilemque*:
Atq; *inopem*, *memorem*, *consortem* jungito: & ortum
A *Capio*: *dives* quibus additur. *Um* dat *e* tantum.

Excipiuntur á dicta regula quædam *um* solum habentia licet in abl. habuerint *i*: ut Vigil vigilum, Supplex supplicum, &c. Et quædã horum *um* putantur habere differentiæ causa propter nomina neutri generis in *um* desinentia, qualia sunt supplicium, opificium, artificium, consortium mancipium municipium, principium, &c. Supplex, id est supplicans & humiliter rogans, *a supplicant*, Opifex, operis effector, *a craftsman*. Artifex, artificiosus, *cunning in any craft*. Plin. *Vir tam artificis ingenii*. Inops, *needy*. Consors, *a marrow or partner*, Exors, id est non particeps, aut non consors, *not participant*. ium habet: nisi versus gratia fiat Syncopa, Comparativa nomina etiam *um* tantum faciunt: ut melior meliorum, Fortior fortiorum, plus solum facit plurium. Item composita à capio faciunt *um* tantum: ut particeps participum. sic municeps, &c. A capite vero adjectiva faciunt *ium*, nisi fiat Syncopa; ut Anceps ancipitium, vel per Syncopam, ancipitum, Dives divitum. Sic volunt similia habere per Syncopam, quætamen regulariter *ium* habere arbitror, ut Locuples locupletium, vel locupletum. Degener & huber, licet in ablativo nonnunquam *i* habeant, nunquãm tamen inveni habere *ium*.

Um dat e tantum) Nomina habentia e tantum in ablativo singulari, habebunt *um* solum in genitivo plurali: ut pauper pauperum; Sic puber & impuber: quæ licet aliquando adjectivè in singulari sumantur, tamen per *i* in ablativo non reperi. Sex exceptiones sunt ab hac regula quartum prima est hæc.

As dat *ium* Latiale: magis polysyllaba dant *um*.

Nomen Latinum in *as* desinens, facit genitivum pluralem in *ium*: ut Mas marium, vas vadium, As assium, polysyllaba melius per Syncopam efferuntur, tam in prosa quam in carmine: ut civitas civitatum, vel civitatium. Dixi Latinum, quia Græca solum *um* faciunt: ut Arcas arcadum, Atlas Atlantum.

Donat *ium* *samnis*, *linter*, *caro*, *dos*, *uter*, *os*, *os*,
Glis, *faux*, *nix*, *nox*, *cor*, *lis*, *cos*: quodq; *uncia* donat
S quoq; non crescens, velut *ns*, junge *Quiritem*.

Excipis inde, *canis*, *juvenis*, *panis*, *volucrisque*,
Et *vates*, *proles*, *soboles*, forte *indole* juncto.
Donat *ium* cum *mure*, *cohors*: monosyllaba junge
Consona bina tenet si finis. Finge priorem
Tantum plurali numerum. Signato figuras.

Ium habent hæc nomina in genitivo plurali: Samnis samnitium, Linter lintrium, Caro carnium, Dos dotium. Sic Cos cotium, Uter utrium, Os ossium, Os orium, si genitivum pluralem habere reperiatur, Glis glirium. Sic faux faucium. Nix nivium, Nox noctium, Cor cordium, Lis litium. Sic composita ab uncia, ut Septunx septuncium, & nomina in *es* & in *is* non crescentia in genitivo singulari, ut sedes sedium, Ædes ædium. Mensis mensium. Turris turrium. Præter canis, panis, juvenis, & volucris substantivè captum, & vates vatum. Item proles prolum, teste Marc. Capella, Soboles sobolum, Indoles indolum, si pluraliter legantur. Ideo dixi proles, soboles, fortè indole juncto. Apes apum plerumque per Syncopam habet. Item à regula, *um dat* e *tantum*, excipiuntur Mus murium, cohors cohortium, *a band of men of war*. Nomina monosyllaba in duas consonantes desinentia faciunt *ium* in genitivo plurali: ut trabs trabium, plebs plebium, seps sepium, Ars artium, Lynx lyncium. Nomina tantum pluralis numeri in *es* omnia faciunt genitivum in *ium*, ex analogia vel proportione numeri singularis: ut Penates penatium, quia singulare foret penas. Hâc ratione *ium* faciunt, Fores forium, Manes manium, Vires virium; Ædes pro domo ædium, *an house*. Lactes lactium, sic sortes, sordes, sentes, pugillares, Gades, Alpes, in tertio libro declaranda. Contra *um* solum faciunt, Lemures, Celeres, Majores, Minores, Proceres, Luceres. Opes pro divitijs opum faciens, analogiam non sequitur, *riches*. Notato bene figuras, quæ circa genitivum contingunt, Syncopam & Epenthesin; syncopa satis declarata est, & per eam invenies Macedo habere Macedûm pro Macedonum

Pap. *Fraxineas vibrant Macedûm de more sarissas.*

Contrarium vim habet Epenthesis, quæ est additio literæ vel syllabæ in medio dictionis gratia metri: ut Ales alitum, & per Epenthesin alituum. Virg,

Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat.

Tertius

Tertius est in *ibus*. *Bos bobus* flecto *boumque*.

Dativus pluralis, cui ablativus semper est similis, desinit in *ibus*. ut hominibus, partibus, ænigmatibus, sed in *a* græca elegantius faciunt hos casus in *tis*, ab antiquis nominativis in *tum*, ut sophismatis, Epigrāmatis, &c. Bos vero bobus, & aliquando bubus pro bovibus, & boûm pro boyum per syncopā facit.

QUARTA DECLINATIO.

Quarta dat *us* recto, dat & *u* prius invariatum.

Quarta declinatio nominum duas terminationes habet, *us* & *u*, sed *u* priùs, id est in singulari numero non declinatur: ut, Rictus, *i. e.* rostrum, vel os, *the beck, or the mouth*. Cornu, *a horn*. Genu, *the knee*. Inter hæc in *u*, quædā plurali carent: ut Gelu astu

Us genitivus habet. Per *uis* flexere vetusti.

Genitivus desinit in *us*, ut hic senatus, hujus senatus, *the counsil*. Hic Magistratus, hujus Magistratus, *a Magistrat or an Officer*: Apud veteres nomina quartæ faciebant *uis* in genitivo: ut hujus manuis, anuis. Terent. *Ejus anuis causa opinor, quæ erat mortua*. Multa *i* in genitivo habent: ut ornati, senati, &c.

Tertius optat *ui*: quandoque per *u* quoq; lectus.

Dativus fit in *ui*: ut hic commeatus, hujus commeatus, huic commeatui, *a safe conduct, or victuals of an army*, Æstus, huic æstui, *heat*. Dativus fit in *ui* ab antiquo genitivo in *uis*, a genitivo autem in *us*, regulariter fit dativus in *u*, qui jam in rariore usu, ut metu pro metui. Virg. *Parce metu Cytherea*.

Um retinet quartus. Fit sextus in *u* tibi casus.
Um quarto, reliquis *u* casibus optat Jesus.

Accus: fit in *um*. Ablativus in *u*, vocativus est similis nominativo: ut fructus, hunc fructum, O fructus, ablat. fructu, *fruit* Cicero. *Non parum fructus habet in se eloquentia*. *Jesus*. accusativum facit *Jesum*: Cæteri casus in *u* desinunt: ut hic *Jesus*, hujus *Jesu*, huic *Jesu*, hunc *Jesum*, O *Jesu*, Abl. *Jesu*. Interpretatur Salvator, & est dictio trisyllaba.

Primus pluralis cum quarto semper in *us* fit.
Dat genitivus *uum*. Per *ibus* tibi tertius exit.
Dant *ubus*, *artus*, *acus*, *ficus*, *tribus*, & *lacus*, *arcus*,
Et *specus* atq; *veru*, *partus*, *quercus*, quoque *portus*,
Forsitan & *questus* a deponente creatum.

Nominativus pluralis cui vocativus similis est, cum accusativo desinit in *us*, ut hæ manus, has manus, O manus. Neutra in his casibus per regulam generalem *a* habent: ut cornua, genua Genitivus desinit in *uum*, & dativus cum ablativo in *ibus*: ut hic Saltus, horum saltuum, his saltibus, *a forrest or louping*. Genitivus per syncopam accusativo singulari fit similis, ut currûm pro curruum, nurûm pro nuruum. Ovid. 12. Met.

Cinctaque adest virgo, matrumque, nurûmque caterva.

Pauca faciunt abl. in ubus, ut artubus, ne si artibus dicamus, videatur esse ab ars, Artus, *a joynt of the body*, In quibusdem hæc ratio esse non potest: ut acus acubus, quercus quercubus, Lacus Lacubus, *a lake or loch*. Et vas in quod fluit mustum de torculari. Arcus, *a bow*. Veru etiam invenitur in ubus: *a spit*. Virg.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Quercus, *an oak tree*. Partus, *the birth of a child*. Portus, *an haven or harbery*. Valla jungit, Questus pro querimonia *a complaint*. Sed credo tam questus à queror pro querimonia, quam questus à quæro, quod lucrum significat, *ibus* facere, *profit*.

QUINTA DECLINATIO,

Rectus utriusvis numeri, quartusque per *es* fit
Pluralis quintæ. Dempta *s* capit *i* genitivus
Cum dandi casu. Quartus volet *em*. Dabo sexto
E bene. Vult *erum* patrius. Vult tertius *ebus*.

Nominativus & vocativus utriusq; numeri quintæ declinationis, cum accusativo plurali desinunt in *es* longum, Genitivus & dativus singularis in *ei*, accusativus singularis in *em*, abl. in *e* Genitivus pluralis in *erum*. Dativus & ablat. in *ebus*. Exemplum est in *Donato*, species, id est forma, *a form or kind*. Omnia nomina quintæ declinationis sunt fœminina, præter dies & meridies, quæ satis ex libro primo patent. Omnia nomina quintæ declinationis sunt appellativa. Ideo Fides, nomen virginis, est tertiæ declinationis. Genitivus & dativus singulares quintæ declinationis olim erant similes ablativo, Item Genit. repertus est in *ei* & in *i*: ut hic aut hæc Dies, hujus diei vel dii, ut famei vel famii causa. Testimonia si desideres, lege Gellium. lib. 9. cap. 14.

PA-

PATRONYMICA.

PAtronymicum est quod à nomine patris, & abusive alterius derivatur secundum Græcam formam: Æacides, id est Peleus à nomine patris sui. sic Achilles a nomine avi: vel, Pyrrhus à nomine proavi, patronymicum interpretatur patris nomen à patre & onoma, *i.* nomen, *o* mutato in *y*. Patronymicum enim significat filium aut filiam, nepotem vel neptem. Aliquando etiam qui post longa tempora per rectam lineam consanguinitatis natus est: ut Pyrrhus, Epirotarum Rex, dictus est Æacides: quia dicebatur ab Æaco descendisse. Patronymica formantur abusive à nominibus matrum, ut Phillyrides id est Chiron Centaurus, qui Apollinis & Phillyræ filius fuit. A nominibus fratrum. ut Phaëtontias, *i*, Lampetia, soror Phaëtontis. A nominibus Regum, Romulidæ, Romani à Rege Romulo. A nominibus filiorum, ut Meleagris, Althea Meleagri mater, A nominibus maritorum: ut Menelais, Helena uxor Menelai. A nominibus Deorum, ut Phœbas, Phœbi sacerdos. A nominibus Urbium: ut Troas, mulier Trojana. A nominibus Regionum, ut Thessalis, quæ est ex Thessalia.

Patronymicorum terminationes quibus latini utuntur, sunt quatuor, una masculini generis scilicet *es*, ut Priamides reliquæ fœminini generis, *as*, *is*, *ne*, ut Phaet ontias Priamis, Nerine, Patronymica in *es* solum viros significant, & sunt omnia primæ declnationis. Patronymica in *as* declinantur per omnia ut Lampas, veluti Æetias adis vel ados, id est Medea. Æetæ filia. Patronymica in *is* declinantur per omnia ut pyxis: ut Æneis Æneidis. vel idos, id est filia vel neptis Æneæ, aut *Virgilii* de gestis Æenæ poëma. Patronymica in *ne* declinantur eodem modo ut pentecoste: veluti Nerine. Nerines, id est filia aut neptis Nerei. Patronymica non habent formationes certas. Regulæ tamen licet non satis catholicæ, hæ dari solent Nomina primæ declinationis mutant *æ* genitivum in *a* brevem & juncta syllaba des reddunt patronymica: ut Pelias *Peliæ*, peliades, Contra regulam sunt Anchisiades, Laertiades. Nomina secundæ declinationis correpta *i* genitivi addunt *des*, ut Priami Priamides. Nisi fuerint duo *ii*, tunc enim posterius *i* mutatur in *a* breve, & additur *des*: ut Menetius Menetii, Menetiades. Quæ vero *ei* habent, mutant *ei* in *i* longum addita *des* ut Peleus pelei pelides. Nomina tertii ordinis correpta *i* dativi addunt *des*, ut Hector Hectori, Hectorides. Multa

Multa irregulariter formantur, quia *Poëtæ* addunt, demunt aut mutant pro metri exigentia.

Patronymica in *as* formantur à patronymicis in *des*, habentibus *a* ante *des*, extrita *de* syllaba, Peliades, Pelias.

In *is* patronymica formantur ab habentibus *i* ante *des*, ablata *de*, ut Priamides, priamis, idis. Quod si *i* ante *des*, producatur, mutabitur in *ei*, Pelides, Peleis.

Patronymica in *ne* pauca leguntur, & formantur à genitivis addita syllaba *ne*: ut Adrastrus, Adrasti, Adrastine, vel mutando *ei* in *i* longum: Nereus, Nerei, Nerine, vel mutando posterius *i* in *o* brevi, ut Acrisius, Acrisii, Acrisione.

PRONOMINUM DECLINATIO.

PRonominum declinationes sunt quatuor: Prima declinatio habet pronomina tria, Ego, tu, sui, sine nominativo.

Secunda quinque: ille, ipse, iste, hic, is. Tertia totidem Meus, tuus, suus, noster, & vester. Quarta duo habet, Nostras & vestras.

Prima declinatio pronominum mittit genitivum in *i*, ut ego, genitivo mei, Dativo mihi, qui interdum figurate una syllaba pronunciatur. Virg. *Æn.* 6. *Et mi genus ab Jove summo.*

Secunda declinatio mittit genitivum singularem in *ius* per duas syllabas, ut illius, vel per unam, ut hujus.

Tertia declinatio mittit genitivum singularem in *i*, *æ*, *i*, ut meus, mea, meum. Mei, meæ, mei. Meus, vocativo mi.

Quarta declinatio mittit genitivum in *atis*: ut nostras nostratis, vestras vestratis, Declinantur per tria genera, ut Arpinas.

PRONOMINUM COMPOSITIO.

PRonomina componuntur inter se: egoipse, tuipse, suiipsius, Iste componitur cum hic servata aspiratione: ut Isthic isthæc, isthoc, vel comice isthuc. genitivo caret, dativo caret. Accusativo, isthunc, isthanc, isthoc vel isthuc, Abl. isthoc, isthac, isthoc. Pluraliter generis neutri, Nom. & accus. isthæc. Cæteris caret. Sic invenitur ille cum hic, Illic, illæc, illoc. Secundo, pronomen componitur cum nomine, ut hujusmodi, & intercedente syllabica adjectione, ut hujusçemodi. Tertio cum præpositionibus componitur, ut mecum, tecum, secum. Quarto componitur cum adverbio: ut idem ab *is* & demum & declinatur sic, Idem, eadem, idem, ejusdē, eidem, eundem, eandem, idem, Abl. eodem, eadem, eodem, & plural: eidem

vel iidem, eædem, eadem, eorundem, earundem eorundem, eisdem vel iisdem, eosdem easdem eadem, abl. eisdem vel iisdem. Quinto cmponitur cum conjunctione interrogativa *ne* hiccine hæccine hoccine, genitivo & dativo caret, accusativo hunccine hanccine hoccine, ablativo hoccine haccine hoccine. Et pluraliter generis neutri nom, & accus. hæccine: cæteris caret. Sextò pronomina componuntur cum syllabicis adjectionibus, quæ sunt quinque, met, tim, te, ce, pte, ut egomet meatim, tute, hujusce, suapte. Syllabica adjectio est particula extra compositionem nihil significans, cujus significatio in compositis elucescit.

QUIS ET QUI IN COMPOSITIS.

Quis & qui differunt dupliciter, significatione & compositione. De diversitate significationis, dictum est alio loco: de compositionis differentia nunc agemus.

Notabis autem *qua*, extra compositionem non inveniri, neq; in singulari numero neque plurali. Ut ergo cognoscas composita à *quis* & *qui*, à *quæ* & *qua* notabis versus Badianos.

Ec, *ne*, *alius*, *num*, *si*, deposcunt *quis* sibi subdi:
Et *qua* volunt non *quæ*, quoties reperitur utrumq;
Post *quis*, *nam*, *que*, *piam*, non *qui*, tu pone *putas*, *quam*
Dam, *vis*, *cunque*, *libet*, non *quis*, sed *qui* sibi subdet,
Nec *qua* volunt sed *quæ* quoties reperitur utrumq;

Quis & *qua* in compositione postponuntur dictionibus *ec*, *ne*, *alius*, *num*, *si*, Et dicimus, *ecquis*, *nequis*, *numquis*, *siquis*. *sic ecqua*, *nequa*, &c. *Quis* vero & non etiam *qua* præponitur, *quis*, *nam*, *que*, *piam*, *putas*, *quam*: *quisquis*, *quisnam quisque*, *quispiam*, *quisputas*, *quisquam*. Dictis omnibus particulis nec præponitur nec postponitur *qui*: sed præponitur quatuor alijs, *dam*, *vis*, *cunque*, *libet*, ut *Quidam*, *quivis*, *quicunque*, *quilibet*. Præponitur hisipsis *quæ*, ut *quædam* atq; etiam illis quibus præponitur *quis*: ut *quænam*, *quæquam*, *quidquam* aut *quodquam*; rarissime legitur *quidcunq*; *quæqua* nunquam. Item *quisquis*, in usu vix habet alios casus quam *quisquis*, *quicquid*. Abl. *quoquo* & *quaqua*. *Quisque* teste valla, caret genitivo plurali. Quoties igitur apud Donatum simul reperies *quæ* vel *qua*, dictarum particularum gratia sic eum flexisse memineris.

DE HETEROCLITIS.
LIBER TERTIUS.

HEteroclita propriè loquendo ea demum dicuntur, quæ contra aliorum regulam varie declinantur; ut hoc Cœlum, hi cœli, hoc vas vasis, hæc vasa vasorum. In hunc librum congessi, Anomala, Defectiva, & Abundantia, tanquam generali nomine hæc omnia Heteroclita debeant dici, juxta illum Badii versiculum vulgi ab usu sumptum.

Deficit, aut variat, Heteroclita vox vel abundat.

Irregulariter declinatur nomen sive variat, quinq; modis primo, variat genus, ut hoc cœlum, hi cœli. Secundo, variat declinationem tantum, ut hoc vas vasis, hæc vasa vasorum. Tertiò variat genus & declinationem, hoc epulum, hæ epulæ, Quartò, variat sive irregulariter format obliquos: ut Jupiter, Jovis. Quintò, contra aliorum modum aliquot casus finit, ut ambo, duo, quæ ex præcedente libro nota sunt. De Heteroclitis, propriè nominatis dicam primum, inde defectiva & abundantia enucleabo.

Anomala sive Heteroclita, & primum in singulari Masculina, in plurali neutra.

Mascula sunt primo numero, sed neutra secundo
Dindymus, *infernus*, *locus*, *Ismarus*, & *joca*, *cetus*,
Mænala, *Taygetus*, ceu *Tartara*, *Massica Avernus*,
Sibila, *Pangæus*; ceu *Tænara*. *Carbasa*. Dant hi
Quædam plurali: verum *loca* non damus arti.

In singulari masculina, in plurali neutra sunt omnia hic posita, hic Dindymus, hæc dindyma, &c. sed hic aut hæc Carbasus, pluraliter hæc carbasa. Quædam horum etiam masculina sunt in plurali, & sic non sunt Heteroclita, ut hic locus, & pluraliter hi loci, vel hæc loca; hic jocus, & pluraliter hi joci, vel hæc joca. Sed notandum quod locus quando est argumenti sedes, ad Rhetoricæ vel Dialectæ pertinens curam, non habet in plurali loca, sed loci tantum. Dindymus est mons Phrygiæ infernus, *the hell.* Sed adjectivi potius naturam habet, ut supernus. Ismarus, mons Traciæ. Jocus, ludus est in verbis, *a sport.* Cetus piscis, maximus, hi ceti, & hæc cete, *a Whale.* Virg. *Immania cete.* Mænalus, mons Arcadiæ. Taygetus, mons

Laconiæ

Laconiæ. Tartarus, idem est quod infernus. *the hell.* Tartari tartarorum, populus quidam est scythiæ, Massicus, mons campaniæ optimi vini ferax. Avernus, campaniæ lacus propter circumstantes sylvas fœtidissimus. Describit eum *virg.* 6. *Æn.* Sibilus, fictitium est nomen flatum quendam significans, *hissing.* Pangæus, promontorium est Thraciæ, Tenarus, promontorium laconiæ. at hujusmodi propria eatenus etiam inter abundantia referri poterunt, quod in singulari & plurali *idem* significant.

In singulari fœminina, in plurali neutra.

Hæc prius, hæc post, dant tibi *Pergamus* atq; *supellex*.

Hæc duo nomina Pergamus & Suppellex dant hæc prius, & post. *i.* in singulari sunt generis fœminini, in plurali generis neutri: ut hæc pergamus, hæc supellex: & pluraliter hæc pergama, hæc supellectilia. Pergamus Regia fuit *Priami*, in plurali idem significat, & non plura, *the palace of king Priamus*

In singulari neutra, in plurali masculina.

Mascula plurali numero, sunt neutra priore.
Elysium Cœlum: quibus apte jungitur *Argos.*
Plurali numero sunt mascula neutrave *frænum*,
Et *filum*, *claustrum*, *rastrum*, conjunge *capistrum*.
Est primo numero neutrum *plus*, omne secundo

In singulari neutri generis, in plurali masculina sunt: hoc Elysium, hi Elysii: hoc cœlum, hi Cœli: hoc Argos, hi Argi, quæ sequuntur in plurali, tam neutri quam masculini generis sunt: ut frænum, filum, &c. Plus in singulari solum neutri, in plurali omnis: ut hi & hæ plures, & hæc plura Elysium, locus bonarum animarum, *the resting place of the good souls.* Cœlum, *the heaven.* Argos, hi Argi, urbs Græciæ. Frænum, *a bridle.*, Filum, *a threed.* Claustrum, *a bar.* Rastrum *a spade.* Capistrum, *an horse halter.*

In singulari neutra, in plurali fœminina.

Dic *epulas* & *delicias*: numerus prior *um* dat:
Balnea dic vel *eas*: tantum prior *um* numerus dat
Nundinum apud veteres, nunc usus *nundinæ* habebit

Pauca in singulari sunt neutri generis, & in plurali numero fœminini: ut hoc Epulum, hæ epulæ: hoc delicium, hæ deliciæ: hoc

hoc balneum, hæc balnea balneorum, vel hæ balneæ balnearum. Epulum, multis non videtur anomalum, quia aliud in singulari quam plurali significat. Nam epulum est, teste valla, convivium pomposum & variis cibis comparatum, *a great banket.* Epulæ sunt cibi quotidiani, *customable chear.* Hanc differentiam confundi ostendit Calepinus. Ideo inter Heteroclita pono. Delicium, hæ deliciæ, *delight and pleasure* Balneum hæc balnea, vel hæ balneæ, *the stoves.* Nundinũ dixerunt veteres, nunc pluraliter tantum hæ nundinæ dicimus, *a commonfair*

OBLIQUI HETEROCLITI.

Anormes servant obliquos nomina quædam.
Jupiter est testis, cum multis ante retectis.

Multa nomina anormiter faciunt suos obliquos: ut caro, carnis, lac lactis. Jupiter Jovis. sic hepar, femur, robur, sanguis, turbo, anio, supellex. Sic poema in dat. ablativoque poëmatis melius quam poëmatibus. Item ambo duo & plura ante declarata. Causa in multis est quia alij fuerunt olim nominativi, ut carnis, lacte, Jovis, itiner, jecur & jecinus, robor, teste Phoca: hepas, femor, sanguen, turben, Anien supellectile, poematum, &c. Irregulariter etiam obliquos habent pronomina, Ego & tu.

Anomula delicatione, Vas, Jugerum, domus.

Vas vasis ternæ, pluraliter esto secundæ.
Plurali tantum numero sit *jugera* ternæ;
Attamen effertur cum *jugere jugeris* apte.
Partim sit quartæ, partim *domus* esto secundæ.

Vas vasis neutri generis, in singulari est declinationis tertiæ, in plurali secundæ: ut hæc vasa vasorum, vasis, quia olim dicebant hoc vasum.

Declinemus sic jugerum. Nom. jugerum, Gen. jugeris vel jugeri. Dat. jugero. Accusat. & vocat. jugerum. Ablat. jugero vel jugere. Et pluraliter Nom. Accus. & voca. jugera gen. jugerum: Dat. & ablat. jugeris vel jugeribus: ab antiquo nom. jugus vel juger. Est autem jugerum, spatium agri uno die ab uno pari boum aut equorum arati, *as much good ground as two oxen may tyle in a day.*

Domus sic flectitur. Nom. hæc domus: gen. hujus domi & domus: dat. huic domui, accus. hanc domum, vocat. O domu

domus: abl. hac domo: & plural. hæ domus: gen. harum domuum, vel domorum: dat. his domibus, accus. has domos, vocat. O domus, ablat. domibus; est itaque domus partim secundæ declinationis, partim quartæ, Domi gen. locum ædificij denotat, & ponitur adverbialiter; ut sum domi, *i.* in domo. Domus gen. ædificium significat, ut culmen domus, *the rigging of a house.* Hanc formam declinandi sequuntur quædam arborum nomina, ut laurus, quercus, cornus, pinus, &c.

DEFECTIVA.

Defectiva nomina sunt quibus aliquid in plena declinatione repertum deest, vel casus variatio, ut centum; vel casus aliquando, ut sponte, vel alter numerorum, ut arma. Sed prius quam ad rem accedam, declarabo casuales formas quæ sunt septem, aptota, monoptota, diptota, triptota, tetraptota, pentaptota, hexaptota. Nomen itaque Aptoton est quod per omnes casus uniformiter currit, ut quatuor: & dicitur ab *a* id est sine, & ptosis, id est casus, quasi sine casus variatione. Monoptotum est quod unicum casum habet: ut natu. Aliquando etiam plures, sed qui similes esse solent; ut expes: & dicitur à monos, *i. e.* solus vel unicus & ptosus. Diptoton est, quod duas diversas voces habet, ut inficiæ, inficias, dicitur à dis, *i. e.* bis, & ptosis. Triptotum, nomen quod tres diversos casus habet: ut templum, templi, templo, dicitur à tris, *i. e.* tres, & ptosis. Tetraptotum, nomen quod in declinatione habet quatuor diversas voces: ut Puer, pueri, puero, puerum: à tetras id est quatuor, & ptosis. Pentaptotum, quod in declinatione sua habet quinq; diversas voces, ut Dominus, domini, domino, dominum, domine. Dicitur à pente, id est quinq; & ptosis. Hexaptotum, ab hex, *i. e.* sex & ptosis. Hexaptotum est quod in declinatione sua sex habet varias voces: ut unus, unius, uni, unum, une, uno.

APTOTA, ID EST INDECLINABILIA.

Nomen in *u* nullum numero variabo priore.
Nusquam nomen in *i*, numerosq; notasq; reflecto
Hinc *duo*, *tres*, *unus*, volumus cum *millia* demi,
Et quæ dat *centum*: testem tibi pono *ducenti*.

Nullum nomen in *u* variatur in numero singulari, veluti cornu, veru. Nullum nomen in *i* declinatur: ut gummi, sinapi, nauci. Numerorum cardinalium, id est principalium, unde alij

alii inclinantur numeri, nomina non declinantur: ut quatuor, quinque, centum, biſcentum, mille adject. &c. Hinc excipimus duo duæ duo: tres, tria. Et principium numeri potius quam numerus, unus, una, unum. Hoc mile ſubſtantivum unico *l*, in plurali eſt milia, milium, milibus, declinantur etiam compoſita a centum: ut ducenti, trecenti, quadraginti, &c. Nomina literarum cum dictionibus materialiter (ut loquuntur) poſitis aptota ſunt: ut *a* Alpha, g Gamma, Magiſtri: ut ſi dicas magiſtri eſt genitivi caſus. Sed materialiter poſita nomina nonnunquam flectuntur: ut ab homine componitur nemo.

Barbara multa, id eſt nec Græca, nec Latina.

Barbara multa manent non flexa, quibus dato *cæpe*
Pondo, *pedum*, *nequam*, *nugas*, *hir*, *faſque*, *nefaſque*,
Nil, *nihil*, *inſtar*, *ador*, *tot*, *quot* cum prole utriuſq;
Adde *neceſſe* datis, *frit*, *præſtoq*; Plurima jungunt.
Indocti, ut *Rhemis*: tu *Rhemi* flectere debes.

Multa barbara, ideſt nec Latina nec Græca, ſunt indeclinabilia: ut Bel, quem noſtri Belum vocitant: fuit primus Aſſyriorum Rex, poſt mortem habitus Deus. Cæpe, *an onyon*. Pondo, *a pound*. Pedum, *a ſhepherds club*. Nequam, *wicked*. Nugas, idem quod nugax & mendax, *a clatterer*, Inſtar ſignificat ad æquiparationem, *in likeneß*.

Virg. *Inſtar montis equum, divina Palladis arte,*
Ædificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.

Ador eſt frumenti ſpecies. Non declinantur etiam tot, quot & utriuſq; compoſita totidem, quotquot, aliquot, neceſſe, & quod idem valet, neceſſum, Frit, *the black in the crop of the corn.* Præſto, idem eſt quod præſens, *preſent*. Adde dictis git, cete, Tempe, nepet, Cim, ſubtal. Virus, *poyſon*. Quidam dicunt virus declinari per ſecundam declinationem viri, viro, &c. Barbari cum multis aliis quæ recenſere non libet, jungunt oppidorum & pagorum nomina quæ in *is* fingunt deſinere Bergis, Brugis. Tu dices plurali terminatione Bergæ, Bergarum Bergis, Bergas. Rhemi, Rhemorum, Rhemis.

Vix retinent rectum, *frondis* cum *femine*, *frugis*,
Cum *ditione*, *dapis*, *precis* & *necis*, & *vicis* atque
Remigis: addis *opem*, niſi divam ſignificaris.
Verberis adjicito: *primoris*, Servius addit.

Aleo

Aleo dat rectos, ut *ganeo.* Jungitur *expes.*
Ganeo vult etiam quartum : *satias* dabit *ate.*
Non *later*, aut *viscus*, cum doctis ferre verebor.
Nex, *remex*, & *daps*, parce utens pulchra putabo.

Frondis, *&c.* carent nominativo & vocativo. Ganeo, *a drunkard or harlot.* Et aleo. *a dycer.* Cum expes, quasi sine spe. *hopelesse.* Habent nominativum & vocativum solum. Accus. ganeonem aliquando legitur. Satias, id est satietas, *satiety.* Habet nominativum & vocatium & abl. singularem. Frequens est Grammaticis de defectivis dissensio, doctissimos igitur sequere, & hoc observa, ut rarò inventis rarò utare. Frondis, notæ jam significationis est cum frugis. Virgil. *Frons tenera*, dixit. Feminis femini, ablat. feminè. Et pluraliter femina integrum est. Festus nominativo femen utitur. Sunt autem femina, interiora, femora, exterioria, Ditionis, ditioni, ditionem, Abl. ditione, *dominion or empire.* Dapis, dapi, dapem. abl. dape, plurale dapes integrum est: Dapes cibi opipari, *delicat dishes or chear.* Precis, preci, precem, Abl: prece, plurale preces integrum est, *prayers.* Necis, neci, necem, Abl. nece, *slaughter*, Cicero nex dixit. *Insidiatori, & latroni, quæ potest afferri injusta nex*? Vicis, vici, vicem, Abl. vice, plurali vices, vicibus. Pluralem genitivum non reperi, & in singulari vicis, vici, rarissime leges. Vices sunt alternationes, *course or time about.* Faciam vice tua, id est pro te. Remigis genitivo, datus est lib. 2. Nominativus, ex necessitate. Opis, opi, opem, abl. ope, *help*, Plurali opes integrum est, quod significat sæpissime divitias. *riches.* Ops, opis, quando integrum est, significat Deam terræ, *the Goddess of the earth.* Verber, nominativus cum dativo verberi rarissime leguntur, *a long wand or scourge.* Servius recte addit (quod natura adjectivum est) primoris, i. primi & principalis. Later & viscus nominativi frequentiores sunt doctis, quam ut eorum obliqui à Grammaticis, ijs privari debeant.

VOCATIVO CARENTIA.

Quærens, distribuens, infinitumque, negansque,
Et referens, vocitante carent, pronomen ut omne
Quatuor exceptis, *noster*, *nostras*, *meus*, & *tu*.

Vocativo carent interrogativa: ut *Quis*, qualis. Distributiva, ut quisque, omnis: cujus plurale omnes collective aliquando capitur, & sic vocativum habet. *Virg. Diique Deæque omnes.* Infinita, ut aliquis, siquis. Negativa, ut Nemo, nullus, neuter. Relativa, ut *Qui*, qualis. Omne pronomen, præter tu, meus, noster, nostras, caret vocativo: Meus, in vocativo mi facit, & meus rarissime.

SOLI ABLATIVI.

Est ablativus nonnullis solus in usu,
Obice, *sponte*, *diu*, *noctu*, *natu*, *impete*, *jussu*,
Astu cum *promptu*, *permissu*, *flamine* junge;
Impetis & *spontis*, *flamenque* leges aliquando.

Quædam in singulari numero solum ablativum in usu habent, ut Obice; cujus nominativus apud Grammaticos aliquando ponitur obex, in plurali obices & obicibus sunt in usu: obicum nusquam inveni, Sponte, *willingly*. Genitivus spontis etiam est in usu licet rariore. Diu, id est die, *in the day time*. Noctu, i.e. nocte, plerunque adverbia sunt, *in the night*. Natu, id est, nativitate & ætate, *of age*. Hinc major natu, *elder of age*. Maximus natu, *eldest*. Impete ab antiquo nominativo impes, *with force*. Unde ad huc reperitur genitivus singularis impetis. Jussu, *by command*; & permissu, *with tollerance*. *Vix* quicquam in usu habent præter ablativos jussu, permissu: hoc jussum, permissum. In plurali, hæc jussa, permissa integra sunt. Astu, *by subtilty*. Terent *Asturem tractavit*. Promptu, *in readinesss*. Flamine, *with blowing*. Plurale flamina integrum est; & Cicero usus est nominativo flamen in Arato.

Quibus desunt Gen. Dat. & Ablat. plurales.

Plurali numero cum sexto tertius absit.
Et partius quintæ: *res* atque *dies* capis inde.
Talia sunt *jus*, *thus*, *æs*, *os*, *far*, *defruta*, *morum*,
Hordea, *mulsa*, *forum*, *vinum*, *mare*, Jungito *rus*, *mel*:
Oribus & *vinis*, & plura legendo notabis.

Nomina quintæ declinationis in plurali carent genitivo, dativo & ablativo.

Excipiuntur à Prisciano tantum duo, res rerum, dies dierum

rum, Cic. Ostendit in Top. Minus latinè dici specierum speciebus, quorum casuum apud dialecticos frequens usus est. Carent secundum Grammaticos, eisdem casibus jus, thus, os oris, &c. Defrutum est vinum decoctum ad mediam usq; partem, *half sodden wine*. Morum, *a Mulberry*, Hordeum, *Bear*. Mulsum potus dulcis ex vino & melle, *Meid*. Forum est locus ubi publicæ emptiones & venditiones fiunt, causæque aguntur, *a mercat place, or Court*. Rus, *the land and Countrey without Towns*. Jungi possunt vel raro, vel nunquam habentia dictos casus hyems, fel, crux, &c. Doctissimi tamen oribus & vinis dixerunt, & sic plura usurpata invenies.

Reliqua certis casibus carentia.

Cætera Masculei rectum removeto priôrem.
Dic *fors forte, luesque luem, macti* dato *macte.*
Tantundem solum *tantidem* debet habere.
Cum primo, quartum, quintumq; *specus* petit: & *plus*
Pluris, & à *pluri* neutrum: plurale sit omne.
Suppetiæ, inficiæ, dant quartum; *dica* dat *as, am.*
Deque *veru verum* tollunt: *grates* dato fratres,
Gratis, grate, leges; *repetundarum repetundis.*
V*is, vis, vim, vi,* dat, quondam has *veis*, nunc fero *vires.*
Ausim cum magno Fabio bene dicere *tabum.*

Hæc cætera, hoc cæterum, nominativum singularem masculini generis in usu non habet, qui esset cæter. Hæc fors, O fors, abl. forte, *chance*. Invenies tàm fors quam forte adverbiascere. Lues, hanc luem, aliquando etiam abl: hac lue, *an infecting sicknes*. O macte, & pluraliter, O macti, quasi magis aucte, magis aucti, dictiones quibus aliquem laudamus cum exhortatione ad virtutem aut gloriam.

Virg. 9 Æn. *Macte puer virtute nova sic itur ad astra.*

Tantundem, tantidem, tantundem; cæteris caret, Dicitur quasi tantum idem, id est æque tantum. *even as much*. Specus in nominativo, accusatio, vocativoque, dum est neutri generis, Specoris, specori, specore in usu non sunt: hoc plus, hujus pluris, hoc plus, abl. hoc pluri. Plurale hi & hæ plures, & hæc plura integrum est. Hæ suppetiæ, has suppetias, *help*. Hæ inficiæ, has inficias, *denying*. Eo inficias, id est nego, I *deny*. Hæc dica, hanc dicam, has dicas, *an accusation or process*; Ve-

ruum genitivus in usu non est, veru, *a speet.* Grates sine genitivo, dativo vel ablativo plurali in singulari solum habet genitivum gratis, ablativo grate, & significat gratias, *thanks.* Harum repetundarum, abl. his repetundis tantum, i. pecuniarum aut rerum Principi vel populo surreptarum, *goods sought again, stollen from Prince or people.* ut Cic. *Verrem accusavit repetundarum.* Vis, hujus vis, hanc vim, abl. vi. Et pluraliter has veis apud veteres, nunc ab antiquo singulari dicimus hæ vires, virium, viribus, &c. Hujus tabi, abl. hoc tabo tantum, ut Grammatici volunt. Sed Quint. in pastu cadaveris etiam tabum dixit, caret tamen plurali, ut tabes: cum quo saniem sanguinemque corruptum significat, *rotten and putrified blood and worsom.*

Plurali numero carentia.

Propria Plurali (nisi sint pluralia tantum)
Cuncta carent, cum mensuratis, herba, frutéxque.
De specie loquimur ; tamen hæc quandoque leguntur
Plurali numero, pártes ubi significamus :
Sicut *vina fabæ.* Plurale tenent quoque raro
Abstractum, nomen quintæ, nomenque elementi.

Plurali numero carent propria nomina quarumcunque rerum, nisi sint tantum pluralis numeri, Exempla sunt propria hominum, ut Joannes, Jacobus, Anna, Phyllis. Montium, ut Ossa, Olympus. Sic nomina oppidorum, Planetarum, &c. Dixi, *nisi pluralia sint tantum*, propter Athenæ, Gabij, Artaxata, &c. Venetia regio est, at Venetiæ venetiarum, Venetiæ urbs, Argos hi argi, Mænalus, hæc Mænala, & huic similia abundantia sunt, quatenus in singulari & plurali idem valrnt. Item hæc Fidena, hæ Fidenæ, hæc Mycena vel Mycene, Mycenes, vel hæ Mycen*æ*, Mycenarum, & plura oppidorum nomina, quorum singularia & pluralia sunt penitus synonyma. Galliæ Galliarum, Hispaniæ Hispaniarnm dicimus, quia est Gallia Comata, Togata, Braccata, Hispania citerior, ulterior. Invenimus etiam in plurali non quidem propriè sed appellativé, Jacobi, Scipiones, Hectores, Mæcenates, &c. Secundo plurali carent nomina rerum quæcunque referuntur in pondus vel mensuram: ut nomina metallorum, aurum, plumbum &c Nomina frumentorum, ut triticum, siligo, &c. Et leguminum : ut ervum, canabis, & multa alia, ut lac, butyrum,

lardum, sevum vel sebum: Loquimur autem de specialibus, Nam generalia pluraliter declinari nihil impedit: ut Metalla liquores, frumenta, legumina, &c. Quin etiam specialia in plurali numero quandoque leguntur, ubi partem significare volumus: ut vina, hordea, pisæ vel pisa, fabæ, æra, electra, farra, defruta, mella, quibus vix sunt in plurali genitivus dativus vel ablativus. Item herbarum fruticumque nomina raro pluralem numerum habent, ut Apium, Siler. Nonnulla aliquando habent, ut Lolia, lilia, rosæ, rutæ, cepæ, myricæ, genistæ, cum multis aliis. Declaranda sunt nonnulla vocabula hujus regulæ, Metallum est omnis dura materia in terræ visceribus nata, *all kind of mettal*. Nam Plinius etiam lapides vocat metalla. Isidorus septem ponit nomina metallorum magis vulgata: Aurum, argentum, electrum, stannum, plumbum, æs, & ferrum sub quibus intelliguntur orichalcum & chalybs. Aurum *gold*. Argentum. *silver*. Electrum *gold mixt with the fifth part of silver*. Stannum, *tinne*. Plumbum, *lead*. Æs *copper*. Orichalum, *Brass or Latton* Ferrum *Iron*. Chalybs *steel*. Lardum vel Laridum; *bacon*. Sevum vel sebum, est pinguedo cornigerorum animalium, *tallon*. Minium est terra rubra, *red lead*. Frumentum quod spicis continetur: ut hordeum, *all kind of corn*. Legumen est quod nascitur in folliculis, ut fabæ, pisa, *pease, beans, and such kind of corn*.

Plurale tenent quoque raro.) Sententia est, nomina abstracta, id est substantiva ab adjectivis deducta virtutes significantia aut vitia, cum nominibus quintæ declinationis, & nominibus elementorum raro tenent pluralem numerum, Exempla de abstractis. Juventus, *youth*, Socordia & vecordia, *foolishness*. Sic parcimonia, memoria, eloquentia, avaritia, insania, paupertas, inopia, parcitas, infantia, humilitas, senium, marcor, Poëtica, Dialectica, &c. Exempla de nominibus quintæ declinationis, ut fides, macies, pernicies, caries dies pro tempore. Sanies, sanguis corruptus. Exempla elementorum, terra, aqua, aër, ignis, quæ (excepto *Aër*) pluralem admittunt omnia, ubi non totum elementum, sed aliquas parteis significamus. Habent quoque pluralem ex aliis complura, ut sine dubio dies & res cum pluribus quintæ declinationis nominibus, & multa abstracta. Ideo dixi non semper, sed raro. Ovid. *Vulgus amicitias utilitate probat.*

RARO PLURALIA.

Maſ. Vix plurale tenent *limus* cum *ſanguine*, *fumus*
Et *fimus* & *mundus*, *muſcus*, cum *nemine pontus*,
Captorum *carcer*, *ſopor*, & *pulvis*, *penus*, *uncus*,
Ceſtus, ceu *cultus* pro auro, *ros* & *genuinus*.
Fœmin. *Gloria*, *fama*, *lues*, *pax*, *galla*, *fames*, *fuga*, *vita*
Culpa, *ſtrues*, *pix*, *gaza*, *ſalus*, cumq; *indole*, *arena*,
Mors, *tuſſis*, *proles*, *tabes*, *labes*, *ſobeleſque*,
Talio cum *cholera*, *ſitis*, atq; *humus* & *pituita*,
Lux, *plebs*, jungantur *pubes*, *contagio*, *bilis*.
N. *hir*, *cœnum*, *fel*, *pus*, *ver*, *nectar*, *ador*, *nihil*, *hepar*,
Nil, *jubar* & *nihilum*, *gluten*, *vulgus*, *pelaguſque*,
Ævum, *ſal*, *barathrum* cum *manna*, *mammona*, *paſcha*,
Juſtitium, *fœnum*, *virus* cum *mane*, *neceſſum*,
Atque *neceſſe*, *ſalum*, *ſolium*, *fus*, *inſtar*, & *halec*:
Adde *nefas*, *litum*, *vitrum*, *viſcum* atque *macellum*,
Et *nitrum*, *ſpicum*, *ſinumque*, *geluque*, *ſolumque*,
Atque *lutum*. Sunt his qui longe plura notarunt,
Si bene diſcutias doctorum ſcripta virorum,
Multa ſecus cernes, quam lex vult grammaticorum.

Raro habent pluralem numerum hæc nomina. Limus, ſanguis, fimus, &c. Limus, i. cœnum & terra maddida, *ſlime*. Sanguis, in ſacris ſolum pluraliter legi, ut, *virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*. Fimus, *dung*. Mundus vel mundum, pro omni eo quo ſe ornat mulier, in plurali non reperitur, *a womans attyre*. Alias apud naturales Philoſophos pluralem habet, Muſcus, *musk, or fog of walls or trees*. Pontus, *the ſea*. Carcer, *a priſon*. Sopor, *a ſound ſleep*. Sub penus comprehende penum & penu idem ſignificantia, *a girnel of victual*. Uncus, *a cleik*. Ceſtus, cingulum ſponſæ nubentis, *a ſpouſing girdle*. Cæſtus cum æ diphthongo, *a kind of weapon*, legitur pluraliter. Cultus pro eo quod vulgo folium auri dicitur, *gold foylie*. Genuinus, dens in extrema gingiva homini ſæpe vigeſimo anno naſcens, interdum vigeſimo octavo, *a chaft-tooth*. Sequentia

fœm

fœminina sunt: Gloria, *Quint. consentiens laus bonorum gloria appellatur.* Fama, *fame or report,* Pax, *peace.* Galla, *a nut gall, or shoe-last.* Fames, *hunger.* Fuga, *flight.* Vita pro modo vivendi pluraliter leges, *life.* Terent. in Adel. *Inspicere tanquam in speculo, hominum vitas jubeo.* Pix, *pick.* Strues, *a heap of wood.* Gaza, *riches.* Indoles, est in pueris significatio quædam futuræ probitatis, *an appearing of disposition to vertue.* In viris signum est præsentis virtutis, & aliquando in malum capitur. Arena, *sand.* Proles, fœtus animalis, *the fruit of man or beast.* Labes, *a spot.* Soboles, à subolescendo, i. succrescendo, dicitur, *succession of children.* Asinius Pollio, pulchrè hoc nomine utitur scribens ad Cicer. *Et robur & soboles militum interiit, siquidem, quæ nuntiantur ulla ex parte vera sunt.* Cholera, *choler.* Pituita, *phlegm* *Lux, light.* Pluraliter legitur pro diebus, luces & lucibus, non lucum aut lucium. Pubes, *the hair on the secret parts.* Contagio est morbi contactu propagatio, *infection.* Inter neutra, plurali carent hæc nomina, hir, cœnum, &c. cœnum est lutum & terra humore resoluta, *clay* Fel, *gall.* Ver, anni pars, *Martium, Aprile* & *Maium* continens, *the springtime.* Nectar, Deorum potus dulcissimus, *the drink of the Gods.* Ador, *grain for sacrifice.* Nil, nihil, nihilum, *nothing.* Gluten, sive glutinum, *glew.* Utrumq; plurali caret. *Vulgus* mascu: aliquando plur: habet. Ævum *long age.* Sal masculinè pluralem dabit etiam pro condimento. Barathum locus Athenis erat unde damnati præcipitabantur: & capitur pro immensa profunditate & inferno, *a deep gulf, or hell.* Justitium, quasi juris statio dicitur, & est juris dicendi intermissio, *vacance.* Fœnum, *hay,* Mane, *the morning,* Necesse, vel necessum dicitur in quo cessandum non est, *necessary.* Salum, *the sea.* Solium, *the Kings throne,* Letum sine diphthongo & aspiratione, *death.* Vitrum, ubi parteis significamus in plurali reperitur, *glass.* Viscum, vel Masculine viscus, utrumque sine plurali, *bird lime* : Macellum, *a flesh or fish mercat.* Nitrum, salis species, quo sordes corporum vestiumque purgantur, *salt-peter* Spicum, acumen ad spicæ similitudinem Sinum vel sinus, vasculum ventrosum est, & accipitur pro flasco, *a bosom or bowked vessel.* Plaut. *Hic cum vino sinus fertur.* Gelu, *frost:* Junge dictis unusquisque. Jungenda censent alii plura: Sed in hoc plerique falluntur, quod in duobus aut tribus auctoribus non reperta, nusquam inveniri ilico clamitant

tant. Itaque siqua dixero carere aliquo, vel casu vel numero, tantisper; ab illis abstineas dum è claris Authoribus me falsum deprehendes, & tum illos potius quam me imitare: hac observantia tamen, ne raro inventis affectate utendum putes

SINGULARI NUMERO CARENTIA.

Distribuens numerus cum *cardine, festa, librique,*
Cum *ludis, urbs,* multa carent numero ista priore.
Dant quidem libri numerum tantummodo primum.

Numeri distributivi, ut bini, terni, carent singulari numero nisi singulariter pro numero cardinali ponantur, Septeno gurgite, pro septem gurgitibus: apud Virg. Septuageno coitu, apud Plin. Numeri cardinales, ut duo, tres, quatuor, &c. Sub his continentur totidem, aliquot, quot. Unus principium numeri est, non numerus. Tertio, nomina festorum singulari numero carent: ut Vulcanalia. Bacchanalia, Saturnalia, Opalia. Vinalia, Neptunalia. Quinquatria, Megalesia Floralia, Liberalia, Feralia, & cætera festorum nomina. Horum quædam, quorum Deorum, aut Dearum fuerint, derivativo indicat: ut Vulcanalia, festa Vulcani, *the feast of Vulcan.* Florialia, Floræ Deæ Festa, vel ludi, *the feast of the Goddess Flora.* Vinalia autem erãt quibus Iovi novum vinum libabant. Quinquatria, quinque diebus Palladi fiebant. Megalesia, festa erant & ludi magnæ matris Deorum, sed ludi sæpius Megalenses dicuntur. Feralia, à ferendis in sepulchra epulis dicta sunt, teste Varrone, *the feasts of the dead.* Horum declinatio patet ex 2. lib. ut Parentalia parentalium, vel parentaliorum parentalibus: feriæ quæ parentibus defunctis fiunt. Nonnulla totam malunt sequi secundam declinationem: ut repotia, repotiorum, repotiis, celebrantur cum postridie nuptias apud novum maritum quasi renovatur potatio, *drinking or banquets the morn after marriage.* Item festorum nomina sunt Latinæ & Neomeniæ. Quarto singulari carent multa librorum nomina: ut Georgica, Bucolica, Chronica, Biblia: Rhetorica, Rhetoricorum. Nam Rhetorica, Rhetoricæ, ipsa ars est benè ornatéque dicendi. Quinto, ludorum nomina, ut Apollinares. Circenses, Quinquatres, Circenses dicti sunt, quod in circo fiebant. Sexto, multa oppidorum, aut pagorum nomina: ut Parisii, Thebæ, Artaxata, Hierosolymæ. Invenies etiam in singulari, Hierosolyma Hierosolymæ, apud Suetonium & Tacitum contra Vallam.

Masculina Pluralia tantum.

Masculei generis sunt hæc pluralia tantum,
Annales sentes, cancelli, Liberi, amores,
Vepres, carceribus, Luceres, cani, Lemures do.
Fur furibus, geminis, natales, cælitibus ceu
Manes, & casses, superi, loculi, atque *penates.*
Cuique prius foret as, *majores,* atque *minores,*
Primores, fasti vel *fastus,* adde *Quirites.*
Et *pugillares, Seres, Caresque, salesque* :
Atque *lares, pisces* signum, ceu menstrua *menses,*
Atque *fori, fasces, proceres,* sic *posteri* & *antes,*
Mores, inferi & *ambo* dabis sic *codiquecilli.*
Interdum numero potientur pauca priore.

Masculina tantum pluralia sunt, Annales, sentes, cancelli, &c. Quorum nonnulla aliquando reperiuntur in numero singulari: *Quæ* nec penitus refugiemus, neque affectabimus, Annales, *Histories, or* Chronicles *of things done from year to year* Sentes, *thorns.* Cancelli, *stanchers or tirlises.* Liberi, *children.* Amores, pro turpibus & venereis, *filthy love.* Nisi adjectivo distinguantur, veluti honesti amores. Vepres, *a brier.* Carceres, *the place where horse begin their race.* In hac significatione reperitur etiam singulariter, Cic. *A carcere ad calcem revocari.* Luceres, nobiles quidam Romani, Cani, *white hairs in old men.* Lemures, *bogils and ghosts.* Furfures, *lumps in the head.* Pro purgamento farinæ etiam singulariter dixit Serenus. *Additur excussus niveâ similagine furfur.*

Gemini & Gemelli, *twins.* Natales, nascendi conditio, *nobility of blood.* Natalis in singulari est dies, quo quis nascitur. Cœlites, *Saints in* Heaven. Manes, *the Souls departed.* Casses, *girns.* Superi, *they that are in Heaven.* Inferi, *they that are in hell.* Posteri, *our successours.* Loculi, *bags for money.* Penates, *house-gods, or the house.* Item pluralia tantum sunt quædam quæ in *as* desinerent si singularem numerum haberent, ut Primates, Optimates, &c. Sunt autem primates civium primi, *the principal of the people.* Optimates probissimi, *the head man of a town.* Summates, sunt civium summi, *the chief of a Realm or City.* Infimates, infimi, *the inferiour people,* Item, hæc Majores,

our elders. Minores, *our successours*. Primores communis generis quia naturam habet adjectivi, ut meminimus supra, *first or chief*. Tac. *Erat Othoni celebre convivium primoribus fœminis, virisque*. Neutrum est apud Cicer. 1. Orat. *Ne primoribus quidem labris attigissent*. Reperitur sæpe singulariter, Gellius, *primore aspectu* Idem. *Si me non fallit, quod quidem in primori pueritia legerim*. Fasti factorum, vel fastus fastuum, liber est in quo totius anni res Romanæ & causæ festorum explicantur. Quirites sunt Romani à Quirino, i. Romulo, *the people of Rome*. Pugillares, *writing tables*, pro eodem dicimus pugillaria pugillarium, pugillaribus, & reperitur utrumque in singulari. Seres & Cares populorum nomina sunt. Sales, *merry words or sports*. Reperitur in hoc significatu sæpissime singulariter.

Catul: *Nulla in tam magno corpore mica salis*.

Cicero. P: *Scipio omnes sale facetiisque superabat*: Lares, *house-hold-gods, or the house*: Pisces signum cœleste, Menses pro menstruis singulari caret: Plinius, *Cujus semen menses & urinam ciet*. Fori, pars navis, qua à prora in puppim discurritur, *the hatches of a ship*. Cicero, *Cum alii malos scandant, alii per foros cursitent, alii sentinam exhauriant*. Fasces, consulatus aut prætura, quia virgarum fasces ante magistratus portabantur, *the offices of the Noble men of Rome*. Proceres, *nobility*. Antes, sulci & vitium ordines, *the outer pillars of an house, or first ranks of vines*. Virg.

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

Mores, teste Diomede, pro vitæ modo, nam & boni & mali mores dicuntur, *manners*: Sic codiquecilli, id est codicilli. Tmesis metri gratiâ, sunt autem codicilli, epistolæ & libelli, *Epistles or books*. Sulp: *Ciceronis puer mihi obviam venit cum codicillis*. Jurisconsulti aliter usurpant. Addunt quidam plura: ut Aborigines, antiqui Italiæ populi, *people of Italy*. Ludi pro spectaculis, *common playes*.

FOEMININA PLURALIA TANTUM.

Hæc muliebria sunt tantum pluralia *grates*,
Suppetiæ, *cunæ*, *charites*, *latebræ*, *phaleræque*,
Antiæ, & *ambages*, *Alpes*, *argutiæ*, & *ædes*.
Præstigiæ, *exquiliæ*, *bigæ*, cum fratribus *Idus*,
Et decimæ, *inficiæ*, *nugæ*, *scalæque*, *foresque*,

Copiæ,

Copiæ, & antennæ, Gades, diræ, atque *Calendæ,*
Feriæ, & exequiæ, gingivæ, literæ, & antæ,
Et decretales, inimicitiæ, quoque *& aræ.*
Neniæ, & illecebræ, genæ, opes, nonæ, tenebræque,
Exuviæ, indiviæ, paleæ, salebræ, scatebræque;
Cum *valvis, tricæ, thermæ* cum *naribus,* atque
Blanditiis & compedibus. cum *sordibus:* adde
Clitellæ, sortes, fortunæ, divitiæque,
Gratiæ & insidiæ: sic *cantes, relliquiæque,*
Quisquiliæ, lactes, mappæque, minæque, plagæque,
Nuptiæ, & excubiæ, cum *primis, primitiisque,*
Inferiæ, & scopæ: partes si factio fiat.
Cætera vix versu contingit dicere: verum
Interdum numero potientur pauca priore.

Hæc fœminina carent singulari ut dicunt Grammatici. Ego vero horum quædam sæpicule singulariter flexa notavi. Cunæ, *a cradle.* Charites i. gratiæ, *the three graces.* Latebræ, *lurking places.* Phaleræ, equorum ornamenta, *a horseharnessing.* Antiæ, *rowles of hair on the fore heads of women,* Ambages, *boutgates.* Alpes, montes sunt Italiam terminantes. Argutiæ, subtilitates & acutê nialitiosque dictum aut factum, *naughty subtilities.* Ædes: pro domo, *a house.* Quando singularem habet templum significat, sed fere semper cum adjectione, ut Ædes sacra, Ædes Jovis. Præstigiæ oculorum illusio per incantationem, vel dexteritatem, celeritatem, agilitatemq;, *juglary* Inveniuntur etiam præstigia præstigiorum. Exquiliæ, mons Romanus, i. e. mons exquilinus. Bigæ cum fratribus, id est cum iis quæ ejusdem sunt originis ut Trigæ, quadrigæ, &c. Bigæ currus á duobus equis tractus, *a cart or coach with two horses,* Quadrigæ á quatuor, *a cart with four horses.* Sejugæ, a sex, *with six horses.* Monigæ, ab unico, *with one horse.* Capiuntur etiam pro ipsis equis, & reperiuntur sæpe singulariter contra Grammaticorum legem quæ exigit teste Servio, ut nomina significantia res ex pluribus constantes, singulari careant: ut Bigæ Scalæ, Scopæ, Decimæ, *tithes.* Nugæ, *clatters.* Scalæ quæ latiores habent gradus, & immobilès, permanent, *a stair or standin*

ding ladder. Scala est quæ ex teretibus lignis, aliave materia constructa, huc atq; illuc transferri potest, Differentia plerumque non attenditur & plurali sæpius utimur Fores. *a door.* Copiæ pro exercitu, *an host.* Antennæ, lignum ex transverso mali navalis positum, unde pendent vela, *the Rea.* Gades, duæ sunt insulæ in extremo nostri orbis versus Occidentem, ubi Europa ab Africa dividitur. Diræ, furiæ inferni. Kalendæ, primus dies cujuslibet mensis, *the first day of the moneth.* Feriæ, dies festi ac feriati, *holy dayes*, vulgus contra Latine loquentium consuetudinem, dicit Feria secunda, Feria tertia, &c. Exequiæ funebre officium, *funerals for the dead.* Gingivæ caro in qua dentes gignuntur, *the chafts.* Literæ, id est Epistolæ, & disciplinæ quæ literarum monumentis mandatæ sunt. Antæ, lapides qui utrumque latus ostii muniunt, *the jambs of a door or port.* Decretales, Pontificum constitutiones, *the decreets of Bishops.* Inimicitiæ, procul dubio singulariter invenitur, *unfriendship.* Cicero 4. Tusculanorum. *Inimicitia est ira ulciscendi tempus observans.* Aræ pro Penatibus, teste Diomede, *house-gods.* Næniæ, carmen funebre proprie est, *a dool song.* Et capitur pro quovis inepto cantu aut sermone. Illecebræ, *enticements.* Frequens est in singulari, Cicero pro Milone. *Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem;* Genæ, partes capitis inter malas & auriculas, *the cheeks.* Opes, pro divitiis, *riches.* Nonæ, dies quidam in mense. Tenebræ, *darknesse.* Exuviæ, *spoil of enemies.* Induviæ, *garments.* Palæ, *chaff.* Salebræ, loca aspera vel aquosa per quæ salire oportet, *irksome passages.* Scatebræ, *springs of water,* Valvæ, januæ quæ in se replicantur, *folded doors.* Tricæ capilli sunt qui pedibus pullorum gallinaceorum involuti gressum impediunt. Capitur pro re nihili, *trifles and naughty impediments* Ut Apinæ, quod etiam singulari caret. Thermæ, *hot-stoves,* Nares, *the nostrils.* Blanditiæ, *flattering words.* Compedes, pedum vincula, *fetters.* Sordes, *filth or avarice.* Clitellæ, *a pack sadle.* Sortes, 1. oraculum & Dei responsum, *an Oracle of the Gods.* Fortunæ, *riches.* Terent. *Omnes laudabant fortunas meas qui gnatum haberem tali ingenio præditum.* Gratiæ, Deæ quædam, *Goddesses of friendship.* Insidiæ, Laquei & occulti doli, dolosaque expectatio ad aggrediendum aliquem, *crafty watching* Cantes, *pipes of organs* Reliquiæ, *the remnant of any thing.* Quisquiliæ, *fallen leaves from trees*

trees, or other naughty things. Lactes, intestina per quæ cibus labitur, propriè in homine & ove: ut indicat *Plinius, the trypes.* Mappæ frequens est in singulari, Horat. lib. 1. Ep. 5. v. 22.---*Ne turpe toral, ne surdida mappa. Corruget nares.*--- Dicitur ètiam mappum, *a board cloath.* Minæ, *threatnings.* Plagæ, pro reti tantum, *nets for wild beasts.* Nuptiæ, *marriage.* Excubiæ, vigiliæ militum, *watches.* Primæ, id est Primæ partes *the first places.* Sic secundæ significat secundas partes, *the second places,* Cic. in Oratore. *Quis unquam dubitat quin in republica nostra, primas eloquentia tenuerit semper, secundas juris scientia?* Primitiæ quæ in aliqua re sunt prima & principalia, *the first fruits.* Inferiæ, sacra defunctorum, & exequiæ, *sacrifice for the dead, or to the infernal gods.* Scopæ, *a besom,* Partes, pro factione: Junguntur his omnibus pauca alia, ut Ceremoniæ, *ceremonies* Minutiæ, partes partium, *small bits.* Offuciæ *crafty deceits.* Manubiæ pecunia ex vendita præda, *a prey or booting.* Facetiæ, *merry words or deeds.* Fidiculæ, *a kind of punishment with cords:* fidicula fidiculæ, *a gittern or lute.*

Neutra pluralia tantum.

Tantum pluralis numeri sunt neutra, *juga, arma,*
Seria cum *rostris, effata, crepundia, bactra,*
Extra, cibaria, tesqua, Ceraunia, classica, lustra,
Cum *castris, flabris, cunabula, justa, pudenda:*
Transtra, verenda, bonis, & *munia* do *paraphernis,*
Aulæis, lachanis: libis, commitia lector
Addes cum *spoliis præcordia*: sunto secundæ,
Hæc *carchesia,* uti *vinacea,* & *ostia, serta,*
Ostrea Grammatici, *bellaria* pleraque jungunt
Ilia sit ternæ, ceu *lumina, mœnia,* sicut
Pugillaria, uti *sponsalia, millia* junge.
Et *vetera* atque *mapalia,* sic *magalia* flecto:
Pluraque perfacilis melius quæ prosa recludet,
Interdum numero potientur pauca priore.

Neutra tantum pluralia sunt juga, arma, &c. quorum pauca singularem numerum quandoque habent. Juga, montium

cacumina, *tops of mountains*. Invenitur quandoque in hac significatione singulariter. Arma, *weapons*. Seria, *earnest matters*. Rostra locus Romæ in quo concionabantur, rostris hostilium navium ornatus, *a place in Rome where the Orators made their orations*. Effata ultimæ augurum præcationes, *the last prayers of diviners*. Crepundia, reculæ pueris ludendi gratia datæ, *childrens puppets*. Ut ensiculi, puppæ, imagunculæ. Bactra populus in Scythia, & ipsa regio, in eaque regione urbs. Exta, *intrals*. Cibaria, *delicate meats*. Tesqua, *desart and difficile places*. Ceraunia, montes Epiri. Classica, *trumpets*. Castra, *a Camp where an host remains*. Huic junguntur æstiva, hiberna, stativa. Flabra, *blowing of wind*. Flabrum instrumentum quo flabra fiunt, *a wind fan*. Cunabula & similiter incunabula, sunt cunæ, *a cradle*. Et rerum primordia. Justa, *funerals*. Pudenda & verenda, ex adjectivis in substantiva transierunt, quia intelligimus membra semper, *the secret members*. Transta, *seats in a ship*. Bona pro divitiis, *good or riches* Munia, *publick Offices*. Parapherna, propter dotem data fœminis. *womens jewels*. Aulæa, *Tapestrie*. Lachana, *all kind of eating herbs*. Liba panis dulciarii genus. *a loaf*. Comitia, conventus populi ad magistratus creandos, pro ipsa migistratus electione, semper pluraliter dicitur, *a convention for choosing of Magistrats, or a* Parliament. Pro loco autem ubi comitia celebrantur, dicitur comitium frequenter. Spolia *spoil of enemies*. Præcordia, cartilago circa cor, *the film of the heart*. Carchesia, *the hole of the mast, where the shrewds are fastened*, Macrobius refert carchesium, summam esse veli navalis partem, & poculum procerum circa mediam partem compressum, ansa à summo ad infimum pertingente. *Vinacea, hooles of grapes pressed*. Ostia, *the mouth of rivers*. Serta, *garlands of flowers*. Ostrea, *oysters*. Invenitur etiam fœminini, & sæpius in plurali quam in singulari; ut Ostreæ ostrearum. Bellaria, *desert after meat*. Græce Tragemmata & pemmata dicuntur, Omnia nomina jam dicta, secundæ declinationis sunt, sequentia vero tertiæ: ut ilia, quod tamen ipsum per secundam quandoque invenitur. Sunt autem ilia, teste plinio, arteriæ quædam inter vesicam & alvum ad pubem tendentes, & hæc sunt ilia interiora: Vocant etiam ilia inferiores laterum partes quas respiratio præcipue concutit, Lumina pro oculis, *the eyes*. Mœnia, *the walls of a town*.

Sponsalia,

Sponſalia, genitivo ſponſalium, vel per ſecundam ſponſaliorum: dativo ſponſalibus, ſunt futurarum nuptiarum promiſſio, *ſpouſage or wedding.* Milia pro miliari, *a mile.* Vetera pro loco quodam, frequenter in Tacito. Mapalia, *countrey cottages,* Magalia, idem. Addi his poſſunt pluralia in ſingulari rarius inventa, tam ſecundæ declinationis: ut Vivaria, tripudia, ſcruta, multitia; quam tertiæ, ut Lemuria, penetralia, palearia pro pelle, a collo bovis dependente. Nam pro locis ubi reponuntur paleæ ad ſecundam declinationem pertinet, habétq; ſingularem non infrequens palearium. Carent etiam ſingulari neutra quædem indeclinabilia: ut Tempe, Cete & pondo: Tempe, *pleaſant places in Theſſalie.* Abuſive quæcunque loca quibus nemora præſertim, & ſylvæ gratiam addunt Tempe vocamus.

Abundantia.

Multiplex uno ſenſu dicatur abundans:
Tignus vel *tignum* ſit teſtis, *piſaque piſum:*
Cum pene innumeris, quæ lectio multa docebit

Nomen abundans eſt quod in eadem ſignificatione multifariam effertur, & diverſa habet accidentia: ut Tignus vel tignum eſt quævis trabs in ædificio, & proprie cui tectum innititur, *a beam, or balk of an houſe.* Talia ſunt multiplicia de quibus ponam modos aliquot.

Primo, quædam ſola terminatione abundant; arbos arbor, planeta planetes. 2. Quædam ſola declinatione, Laurus lauri, vel laurus. 3. Solo genere, ſicuti dubia omnia, 4. Terminatione & declinatione ſimul: ut caſſis, idis, vel caſſida, dæ. Maceria, vel maceries. 5, Declinatione & genere: ut hic vel hæc ficus, ci: & hæc ficus, hujus ficus. 6. Terminatione & genere: ut hic ſyngraphus, phi, hæc ſyngrapha, phæ. Hic tonitrus, & hoc tonitru. 7. Quædam caſibus diverſis in declinatione, genere & terminatione iiſdem abundant, Chremes etis, vel Chremis. Sic feſtorum nomina in genitivis pluralibus; Vulcanaliorum vel ium. 8. Quædam ſub eadem ſignificatione diverſis numeris efferuntur. Fidena, næ, vel fidenæ, arum, & quæ talia multa apud probatos authores eſt legere. Sed quia eorum numerus eſt maximus, quæ terminatione plurifariam inveniuntur, paucula ſubjiciam.

Alluvium, vel alluvio, vel alluvies, hujus alluviei, *a ſpeat of*

water Angiportus vel angiportum, *a little row or close.* Abrotanus, vel abrotanum, *southern-wood.* Hoc Amygdalum vel hæc amygdala, hujus amygdalæ, *an almond.* Aranea, vel araneus, *an Ettercap.* Adagium, vel adagio, *a proverb.* Anapis, vel anapus, *a river in Sicilie* Ambago, vel ambages sed rarius in singulari. Acinus, vel acina acinæ, vel frequentius acinum *little kernels in raisins and other fruit* Adam vel Adamus, Abraham vel Abrahamus. Arar vel araris. Baculus, vel sine plurali baculum, Baptismus vel baptismum. Baptisma i. ablutio *Baptism or washing.* Buccina vel buccinum *a trumpet.* Buxus vel Buxum, *a bush tree.* Balteus vel Balteum, *a sword belt, or stoothed belt.* Pers.

---Ilia subter, Caecum vulnus habet: sed lato balteus auro protegit.-----

Curriculus vel curriculum, *a little chariot or a running place.* Carrus vel carra, vel carruca, *a chariot.* Cubitus vel cubitum, *the elbow, or the measure of a foot and an half.* Commentarius vel commentarium, liber rerum summas continens librique expositio, *an abridgment an Exposition of a book.* Crystallum vel crystallus, *crystall.* Consortium vel consortio, *company or fellowship.* Colluvium vel colluvio, vel colluvies, *the heap of filth* Capo vel capus, *a capon.* Clypeus vel clypeum, *a buckler.* Calcaneus vel calcaneum, *the heel.* Colostrum vel colostra, *the first milk after the birth, beesting,* Compago vel campages, *a joyning together.* Cavilla cavillum, *a merry mock.* Apuleius etiam dicit cavillus. Conclave vel conclavium, *a secret chamber.* Plautus in Aulularia *Conclavium mihi pervium facitis.* Clathrus vel clathrum, *a bar.* Cepa vel cepe, *a onyon.* Cerasus vel cerasum, *a cherry.* Propert.

Hic dulces cerasos, hic autumnalia poma.

Contages vel contagio, vel contagium, *a contagious sicknesse.* Dictamnus vel Dictamnum herba quædā *dictanie.* Dipondius vel dipondium, duo pondo, *two pounds.* Diluvium vel diluvies, *a spait of water.* Eventus vel eventum, *chance.* Fundum vel fundus, *land or ground.* Sed fundum sæpius pro imo rei capitur. *the bottom of any thing.* Fretum vel fretus: per quartam declinationem, id est mare, *the sea.* Lucr. teste Prisc.

Angustoq; fretu rapidum mare dividit undis.

Lucretium imitatus videtur Cicero quinto in Verrem. Perangusto, inquit, fretu divisa. Guttus vel guttum, *a narrow necked*

necked vessel. Galerus vel galerum, latior pileus, *a broad hat.* Ganea ganeæ, vel ganeum ganei, helluonum & meretricum diversorium, *a bordel-house.* Gobio vel gobius, *an haddock.* Hebenus vel hebenum, *a hebon tree.* Helleborus vel helleborum, *hellebor.* Hibiscus vel hibiscum, herba malvæ similis, *wild mallows.* Hemistichium vel hemistichius, *an half verse.* Jubilus vel jubilum vox est lætantis, *joyfull shouting and crying.* Hic aut hæc Intybus, vel hoc Intybum. *Cicory.* Ludius vel ludio, id est histrio, *a player of interludes.* Ludia talis mulier. Luctus vel luctum, *mourning.* Lanio vel lanius. *a butcher.* Labium apud Gellium sæpe Labia labiæ. Mendum vel menda, *a fault,* Margarita Margaritum vel Margaris, *a pearl.* Monitus vel monitum, *an advertisement.* Mulctra vel mulctrum, vel mulctrale, vas in quod mulgetur, *a kit or milk tub.* Invenitur nasus, nasa nasum: sed in usu est nasus, *the nose.* Nepes vel Nepis, vel Nepet, oppidi Etruriæ nomen. Peribolus vel peribolum circuitus, *a compass or circuit.* Papyrus vel papyrum, *paper.* Pisa vel pisum. *pease.* Punctum aliquando punctus, *a point.*

Horat. *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*

Plinius. *Neque enim aliud terra universa quam mundi punctus.* Pileus & pileum, *a bonnet.* Pascua pascuæ, vel pascuum, *a pastural place for bestial.* Porrus legitur apud Celsum, lib. 4. sed usitatius est porrum, *a leek.* Pistrina & pistrinum, *a mill or bake-house.* Postica vel posticum, *a back-door or postren gate.* Pavus vel pavo, *a peacock.* Proluvies vel proluvium, vel proluvio, *filth.* Pusius & pusio, *a little child.* Phorcus, Phorcyn & phorcys, pater Medusæ. Rapa & rapum, *a rape.* Rictus vel rictum, *the mouth or gaping thereof,* Ramus & ramale, *a branch* Retis & rete, *a net.* Rhenus & Rhenum. Sabulum & sabulo, *gross sand.* Syngrapha & syngraphum, & syngraphus, literæ à multis conscriptæ, vel ab uno nomine multorum, qui vel adscribunt, vel sigilla appendunt in rei veritatem, *an hand writ or obligation.* Plautus: *Age, istum ostende quem conscripsti syngraphum, inter me, & amicam & lenam.* Saguntus vel Saguntum *a town of Spain.* Strabo & strabus, *glyed.* Scorpius & scorpio, *a scorpion:* & cœleste signum & nodosum flagellum Supparus vel supparum, linteum feminorale dictum quod supra appareat, *a smok or top sail.* Satan & satanas, *a devil* Thesaurus & thesaurum, *a treasure.* Textrina & textrinum *a websters-hous.*

housc. Taxus vel taxum, *an ewe tree,* Thymus, vel melius thymum, *time.* Torques & torquis, *a chain.* Vesper vel vesperum & vespera, *the evening time, or evening star.* Ivenitur & Hesperus in eadem significatione.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Xystus vel xystum ampla porticus in qua athletæ per hiberna tempora excercentur, aut locus amœnus & ad deambulationem commodus, *a gallery or walking place.*

Quæ composita diversarum declinationum efficiunt.

Us vel *is* orta volunt *limus, cera, arma, bacillus;*
Norma, jugum, clivus, nervus, somnusque, animusque:
Pluraq; cum *fræno*, quæ glossa recludet abunde.

Quædam nomina faciunt adjectiva compositæ figuræ, secundæ vel tertiæ declinationis: quorum tamen alia sunt aliis frequentiora: ut à Limus, fit illimus vel illimis, id est sine limo vel Cœno, *without slime.* Ovid. 3. Met. v. 407.

Fons erat illimis nitidis argenteus undis.

Item sublimus & sublimis, *high.* *Virg.*

Sublimes in equis redeant, pacemque reportant.

A Cera sincerus & sinceris, *clean undefiled.* Horat.

Sincerum est nisi vas quodqcunque infundis acescit.

A nomine arma, inermus vel inermis, quasi sine armis, *without armour.* A baculus diminitivum est bacillus: hinc imbecillus & imbecillis, *weak.* Norma, *a square or rule.* Anormis, *out of rule.* Jugum, *a yoak.* Hinc bijugi vel bijuges, duo animalia conjugata, *two yoaked beasts.* Quadrijugi, quatuor, *four yoaked beasts.* *Virg. Martis equi bijuges.* ——— Idem. *Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

Clivus, *the pitch of an hill.* Acclivus vel acclivis, *rising upward to an height.* Declivus vel declivis, *leaning downward.* Nervus, *a sinew,* Enervus & enervis, *weak and tender.* Valla notavit fere semper in declinatione tertia dici insomnis & exsomnis, per secundam vero semisomnus, *half sleeping.* Animus *the mind, and spirit and courage.* Hinc exanimus vel exanimis, inanimus, & inanimis, magnanimus, pusillanimus, &c. Infrænus vel infrænis, quasi sine fræno, id est indomitus. Effrænus vel effrænis idem. *undaunted.* Sic à barba dicimus imberbis vel imberbus, teste Marcello, ab annus perennus, vel pernnis,

a lumbus

a lumbus, elumbus, & elumbis. i. debilis, & erigere se non valens, *very weak.*

Nomina sub eadem nominativi terminatione, & genere diversarum declinationum.

Multa tibi flexum dant quartum sive secundum,
Ut *domus*, & *laurus*, *ficus*, *colus*, & *penus* adde,
Et *lacus*, & *quercus*, *pinus*, *cornus*, *monitusque*,
Et quondam *lectus*. Veteres ita plurima flectunt,
Est aliis varius flexus: pro teste *sequester*.
Cætera, ne longum faciam, tibi glossa recludet.

Abundant nomina quædam declinatione, ut quæ sunt secundæ aut quartæ declinationis: saltem in aliquibus casibus, ut domus, ante satis declaratum. Laurus, ficus fœmininum, ut ostensum est lib. prim. & alia multa. Hæc laurus, hujus lauri, dativo lauro tantum, hanc laurum, O lauro. ab. lauro & aliquando lauru, hæ lauri, harum laurorum, his lauris, has lauros & laurus, O lauri, abl. lauris, *a lawrel tree.* Colus secundæ est præter ablativum singularem. qui per utramque profertur, hac colu vel colo, *a rock.* Penus, cui adjungere potes specus, in generibus declaratum est. Lacus, hujus laci vel lacus, *a loch.* Reliqua per quartum effert. Quercus, pinus, cornus, & laurus arborum nomina sunt: Quartæ sunt multa quæ olim per secundam quoque flectebantur, monitus, ornatus, questus, saltus, aditus tumultus, & plura alia, Pl. in Amph. dixit lectus locus, pro lecti locus, quod exolevit: quia nunc solum secundæ est. Sequester, sequestris, sequestre, per tertiā flecti dictum est libro primo. Invenitur etiam in secunda declinatione Sequester, sequestra, sequestrum. Sunt quæ pro diversitate declinationum diversas habent significationes: ut acus, fœmininum quartæ est, neutrum vero tertiæ. Significationes patent ex libris præcedentibus. Item acus aci masculinum secundæ est, & piscem quendam significat. Sunt etiam quæ in eadem declinatione pro diversitate obliquorum diversa significant: ut acer aceris est arbor, *a Maser tree.* Acer acris, id est strenuus, *sharp and bold.* Hujusmodi omnia huc pertinere videntur; si recte dictum est, Multiplex uno sensu dicatur abundant.

DE

DE COMPARATIONIBUS, LIBER QUARTUS.

COmparatio est rei ad rem collatio, Gradus Comparationis sunt tres, Positivus, Comparativus, & Superlativus. Positivus est, qui rem sine excessu significat, ut doctus. Comparativus, qui rem cum excessu quidem significat, sed non summo: ut doctior. Superlativus est, qui rem summo cum excessu significat: ut doctissimus. Hunc excedit quandoq; comparativus. Cicero ad filium, Vale mi Cicero, tibique persuade, te mihi esse charissimum, sed multo fore chariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.

Nomina sola adjectiva comparantur, eaq; non omnia, sed quorum significatio potest augeri vel minui, ut pulcher, dulcis, foelix, &c. propria propter aliquod accidens rebus insitum comparari leges, ut Nero, quia magnae fuit crudelitatis, dicimus Neronior, pro crudelior.

Comparatio est triplex, voce tantum, significatione tantum, & utroque modo.

Comparatio voce tantum, fit ubi vox convenit, significatio discordat: ut à novus novissimus, id est ultimus. Sunt enim maxime nova fere ultima, novior sunt qui negent recte dici. Comparatio significatione tantum est, ubi significatio convenit vox discordat: ut bonus, melior optimus, Comparatio voce & significatione est, ubi cum voce significatio convenit: ut doctus, doctior, doctissimus.

Formatio Comparativorum.

Doctior a *docti* est: ita formes cuncta secundae:
Tolle *sinisterior*, *melior*, *pejor*, *minor* & *plus*,
Cum *major*. Donant *ficus* & *dicus*, entior apte:
Et *volus* atq; *locus*, quae dant *volo* verba *loquorque*.

Comparativus à nomine secundae declinationis fit à genitivo singulari addita *or* syllaba pro communi genere, & *us* pro neutro, ut doctus, doctior, doctius: amicus, amicior, amicius: non ut putant indocti amicitior: spurcus spurcior. Pudicus pudicior, non spurcitior, nec pudicitior, spurcus, *filthy*. Mart.

Munera quod senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum Gorgiliane vocem:
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.

De-

Deterior deterrimus, ab inusitato nomine deter, deteri, quod malum significat, & cui aliquid quasi detritum est, ne bonum sit. Excipiuntur à regula sinister, sinisterior, bonus melior, malus, pejor, parvus minor : multus, plus solum in neutro genere, & hoc in singulari numero : At in plurali, hi & hæc plures, & hæc plura vel pluria. Item magnus major. Sinister aliquando significat adversum vel noxium, *noysome*. Virg. 1 Georg.

Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.

E diverso, dexter interdum est idem quod prosper & favens, *right or prosperous*, à quo dexterior regulariter. A facio sunt quædam adjectiva in ficus, & a dico vel dicax, in dicus penult, correpta: Mirificus mirificentior, *mervellous*. Munificus, *liberal*. Maledicus, *evil speaking*. Falsidicus *lying*. Addunt à volo, benevolus malevolus: A loquor magniloquus &c. benevolentior, magniloquentior, &c.

Fortior a *forti* est ; Facies ita cætera ternæ.
Junior excipiunt, a nequam *nequior* exit.

Comparativus, si positivus fuerit tertiæ, fit à dativo singulari addita or, ut Forti fortior, pauperi pauperior. Hic & hæc potis & hoc pote, id est potens solum nominativum invenitur nunc habere: unde potior potissimus, id est melior & optimus, quasi potentior potentissimus. Excipitur à regula unicum nomen, Juvenis junior, legitur aliquando juvenior. Nequam citra ullam exceptionem nequior nequissimus facit, quia est indeclinabile : Sic à frugi habebuntur frugalior, frugalissimus, sed ut notat Quint, frugalis est dictio parum proba.

Superlativorum formatio.

Er rimus adjiciet superanti. Dant timus *exter*,
Et *eiter*, & *dexter* : quibus addes rite *sinister*.
Dic etiam *extremus*, *maturus*, dat *rimus* apte,
Vel *simus* huic jungunt *satur* : a *vetus* est *rimus*, usq;

Positivus in *er* addit superlativo rimus, rima, rimum, ut niger nigerrimus, deter, deterrimus, pauper, pauperrimus pauperrima pauperrimum : Nota hisce nominibus, celebris salubris, alacris, & siqua sunt ejus farinæ alia, quæ non in *er* tantum sed etiam in *is* masculine inveniuntur : raro alia dari superlativa quam in rimus, ut celeberrimus, saluberrimus, alacerrimus. Ex-

Excipiuntur à regula. Exter exterior extimus vel extremus, sinister sinisterior sinistimus. Exter idem est quod externus, *a stranger*. Papin. PI. Thebaidos.

Sed quid apud tales quies nec ista pignora curas,
Exter bonos?

Valerius exterarum gentium dixit. Et Virgilius extera regna. Citer citera citrum, quod est citra, *near*. Maturus, maturissimus, vel maturrimus, ab antiquo nomine matur. Sic satur saturrimus, & saturissimus, ut quidam volunt. Vetus vetertimus tantum habet. Est autem maturum quod tempestivum dicitur, *ripe*. Ut maturæ fruges, matura poma. Satur, plenus cibo, *full.* Terent.

Sed tu cum satura, atque ebria eris, puer ut sit satur facito.

In reliquis *simus* accipiet patrius positivi,
Atque dativus in i: tamen *s simus* usq; præibit.
Excipe *postremus*, *supremus*, & *optimus*: atque
Pessimus, & *minimus*, cum *maximus*, *intimus* *addes*,
Plurimus, *infimus* adjunges. *entissimus* autem
A *ficus* atque *dicus*, facito. *Limus is* dato dempta
Cum *facilis*, *gracilis*, *agilis*, *similisque*, *humilisque*.

Si positivus non desinit in *r*, tunc superlativus fit à genitivo positivi in secunda declinatione, vel à dativo tertiæ, addendo *s*, & *simus*, ut celsi celsissimus, excelsi, excelsissimus, Celsus & excelsus, id est excellens, altus, *excellent*. Huic forti fortissimus.

Excipiuntur à regula Posterus postremus, superus supremus, bonus optimus, malus pessimus, parvus minimus, magnus maximus. Interus vel inter intera interum. Veteres dicebant, ut superus, hinc interior, intimus. Multus plurimus, multa plurima, multum plus plurimum. Infer vel inferus, inferior infimus, quæ non solum ad locum, verum etiam ad dignitatem pertinent. Terentius.

Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto homines.

Nomina à facio in ficus, à dico vel dicax in dicus, habent entissimus: ut mirificus mirificentissimus, maledicus maledicentissimus. Quandoque regulares horum inveniuntur superlativi, sed apud vetustiores, Terent. *Mirificissimus est patrum*

patruus tuus. Hæc quinque, Facilis, gracilis, agilis, humilis, similis; & ab his composita: ut difficilis, absimilis, faciunt superlativos abjiciendo *is*, additis *limus* syllabis, & ita concurrunt duo *ll*, ut facillimus, agillimus. His additur à Valla docilis, docillimus, Facilis, *easie.* Huic contrarium est difficilis *uneasie.* Cic. *Amanti nihil est difficile.* Agilis, *prompt & souple.* Gracilis, *smal.* Humilis, *laigh or low.* Docilis *easie to learn.* Contrarium est indocilis.

Comparatio imperfecta.

Anterior superante caret, *juvenisque, senexque,*
Sicut *adolescens*: cui *dives* pluraque jungunt.
Temperior solum est. Ignorant hæc positivum,
Ultimus, ulterior, prior, & primus propiorque:
Proximus, ocior, atque *ocissimus* adjiciantur.
Glossa gradu medio nonnulla carere docebit.

Anter vel anterus Veteres dixêre, Hinc anterior anterius, sine superlativo: juvenis juvenior, vel junis junior, senex senior, adolescens adolescentior, ut dives divitior, Terent. *Quam inique comparatum est, ut hi qui minus habent, semper divitioribus aliquid addant.* Dis ditior ditissimus integrum est: Multi addunt superlativo carentibus, Remissus remissior tantum, salutaris salutarior. Infinitus infinitior. Opimus opimior, Longinquus longinquior, Propinquus propinquior. Temperior vel restius temporior, id est tempestivior, à tempore deductum, *timely.* Caret positivo & superlativo. Huic addunt habitior, *fatter.* At ejus positivo superlativoq; utitur Gellius in lepidissimo exemplo, P. Scipio Nasica & M. Pompilius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum & male habitum, sed equitem ejus huberrimum & habitissimum viderunt, Et cur inquiunt, ita est: ut tu sis quam equus curiatior? Quoniam, inquit, ego mê curo, equum Statius meus servus. Ultra, pridem, & prope non comparantur, quicquid dicat Prisc. cum suis, nam teste Diomede ulterior ultimus, & authore Plinio prior primus, propior proximus carent positivo. Dicimus & ocior & ocissimus positivo carere, nam græco ocys, id est velox. Latini non utentur. Sunt etiam quibus negatur comparativus: ut falsus falsissimus

mus, Persuasus persuasissimus, apricus apricissimus, immeritus immerritissimus, invitus invitissimus. Legitur tamen invitus adverbialiter. Jurisconsultus, jurisconsultissimus, comis comissimus, nuper vel nuperus, nuperrimus, id est recentissimus.

Us si vocalis præcat, raro gradus exit,
More prius dicto. *Tenuis* non additur apte.
Mobile, fixa gradus non dant, adverbia quædam

Quando vocalis præcedit in positivo syllabam *us*, nomen aut nunquam aut raro comparatur more dicto, *i* in *or* & *simus*, at ubi comparatione opus est, jungitur vice comparativi cum adverbio magis, superlativi vero cum adverbio maxime: ut Idoneus, magis idoneus, maxime idoneus: Sic arduus, *hard or difficile*. Mart.

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores.

Pius proprie, qui quos debet reveretur; colit & amat, ut Parentes & Deum, *meek and godly*. Industrius, *diligent and ingenious*. Inglorius, *without glory and honour*. Strenuus, *strong and diligent*. Incurius, *negligent*. Injurius, *injurious*, Ratio regulæ est, quia comparativus regulariter formatus debet superare positivum una syllaba, ut docti doctior: Et quia *i* litera inter duas vocales efficitur consonans, comparativus horum nominum non superaret positivum: & si *i* non fuerit consonans ut superaret jam nasceretur cacophaton. Quis enim libenter audiat injurior pentasyllabam, Sed autores hæc Grammaticorum ratio non movit semper. Invenies enim ab assiduus, assiduior assiduissimus; à strenuus strenuior strenuissimus. Et pius invenitur habere pientissimus, ab inusitato nomine piens. Piissimus in epistola Antonii, ut male latinum notat. Cic. Philippica decima tertia. Tu porro inquit, ne pios quidem, sed piissimos quæris, & quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis. Alexander inscite negavit regulariter comparari posse tenuis. Apud Latinissimos enim invenies tenuior tenuissimus. Sicuti quædam adjectiva, ut supra, ita quædam adverbia comparantur. ut docte doctius doctissime. Nomina substantiva non comparantur, ut dies silex, &c.

DE

DE PRÆTERITIS ET SUPINIS VERBORUM.

LIBER QUINTUS.

COmpoſitum ſimplexque modo flectuntur eodem:
Excipies quædam, poſt clare notificanda.

Verbum compoſitæ figuræ conjugatur ut ſimplicis, & contra, ut Sedeo ſedes in præterito ſedi: poſſideo, poſſides, poſſedi.

Excipiuntur quædam: ut Maneo manſi, immineo imminui. *Et* do eſt primæ conjugationis, reddo, addo, tertiæ. Sed hæc & alia paſſim declarabuntur in ſequentibus, Deinceps vero de præteritis & ſupinis tantum agemus. Nam reliqua ad conjugationes pertinentia, ex analogia & ſimilitudine verborum, Amo, Doceo, Lego, *A*udio, ſatis noſcuntur. Conjugatio eſt verborum per tempora declinatio.

A quoties mutatur in *i*, per *e* pono ſupina.
Tolle *habeo*, *do*, *go*, *ſapio*, *ſalio*, *ſtatuo*que.

Si verbum compoſitum mutet *a* ſimplicis in *i*, ſupinum retinebit *e*: ut facio feci factum: reficio refeci refectum. Excipiuntur verba in do: ut Cado cecidi caſum: recido recidi recaſum. Et in go: ut Ago egi actum, adigo adegi adactum. Et compoſita à *S*apio, & habeo quia retinent *i* in ſupino. Deſipui deſipitum, inhibitum. Item à ſalio, & ſtatuo, quæ pro *a* in ſupino, retinent *u*: ut inſilio inſilui inſultum, Inſtitui inſtitutum. Hoc etiam notatu dignum: *V*erba mutantia *e* in *i*, non perdunt *e* ſimplicis in præteritis & ſupinis: ut Emo emi emptum: redimo redemi redemptum: ſic ſedeo, inſideo, &c. Compoſita à teneo non habent *e* in præteritis, ſed ſupinis: Contineo continui contentum. Cædo & lædo mutant æ diphthongum in *i* longum quod retinent compoſita in præteritis & ſupinis.

Cum geminat ſimplex, compoſto tolle priorem:
Quam retinet *do*, *ſto* natum, ceu *diſcere*, *poſco*.
Pluria ſic olim, ceu nunc *præcurro*, *repungo*.
Principium ullius nunquam duplicabo ſupini.

Cum ſimplex geminat principium præteriti, compoſitum

non geminat: ut Mordeo momordi, Remordeo remordi, pello pepuli, compello compuli. Excipies composita à do, sto, disco, posco quia semper geminant: ut credo credidi, resto restiti, edisco edidisci, reposco repoposci. Sic olim plura composita à curro, ut decurro decurri. Sed nunc inter composita verbi curro, solum præcurro geminat principium A pungo solum repungo geminat. Caper apud Priscian. Cum ei qui nos pupugit, talionem, id est vicem à nobis redditam ostendimus, repupugi dicimus. Supinum nunquam principium geminat

Si sit *a* præsenti, non desinit esse supino.

*Q*uoties præsenti fuerit *a*, non aberit supino: licet in præterito mutetur: ut facio feci factum. Fallo fefelli falsum.

Præteritis quæcunque carent, spoliabo supinis.

Quæcunque carent præteritis etiam carent supinis: ut polleo, glisco, &c. licet præteritorum & supinorum defectus ad sequentem pertineat librum: tamen in hoc libro totam hanc rem absolvā, modo verbum non pluribus careat quam præteritis & supinis. Brevius enim id & commodius fiet.

PRIMA CONJUGATIO.

Præteritis *avi* facit *as*, *atumque* supinis.
Æstuo dans *avi* tamen *atum*, *vix* dabit inde.

Verbum primæ conjugationis, facit præteritum perfectum indicativi modi à secunda persona singularis numeri indicativi modi, Præsentis temporis ablata litera *s*, & addita syllaba *vi* quæ in supinis mutatur in *tum* vel *tu*: ut Amo, amas, amavi, amatum, amatu. Æquo, æquavi, æquatum, *to make equal.* Albo, *to make white.* Libo, *to taste.* Prælibo, *to taste before,* Æstuo, æstuas, æstuavi, æstuatum, supinum vix invenitur, id est ferveo, *to be hot, or burn.* Excipiuntur pauca jam declaranda.

Excipe *do*, *dedit*, atq; *datum*: *stetit* atq; *statim sto*,
Cujus compositum *stitit*, atq; *stitum* capit apte.

Do dedi datum, Circundo circundedi circundatum. Sic pessundo, venundo, satisdo. Sto, steti, statum, hujus composita stiti stitum faciunt ut præsto, præstiti, præstitum. Insto institi institum. Da syllaba corripitur, ubciunque est prima syllaba in condeclinandis à do: ut dabam, dare. Ergo dic penultima brevi. pessundabam, circundabam, &c. Circundo, *to*

close about. Ut circundo saltus canibus. Venundo, *to sell*. Pessundo, *to tramp down.* Satisdo, *to satisfie or pay,* Sto, *to stand,* Item stat, manet, aut certum est. *Virg.*

Stat sua cuique dies, breve & irrevocabile tempus
Omnibus est vitæ.---------

Sto conventis, *to keep condition.* Per me non stetit, id est non fui causa cur minus fieret. Adsto, *to stand beside.* Antesto, *to excel.* Resto, *to abide or remain,* Præsto, i. do, *to give.* Item excello, *to excel.* Præstat impersonaliter, i. melius est, *it is better.* In præterito præstitit. Consto, *to stand with, or abide.* Item constat, id est liquet, *it is manifest.* Quanti constat liber, id est quanti emitur? Disto, *to stand far, or be distant.* Quantum distat hinc Roma? quinquaginta miliaria. Exto, *to appear forth.* Liber non extat, i. nusquam invenitur, vel periit. Insto, *to be near.* Ut pascha instat, vel operam do pro re acquirenda, *to be diligent.* Plaut. *Poscit, instat, urget, non sinit hominem quiescere.*

Dono *lavo*, lavi, lotum, lautum, atq; lavatum.
Poto magis potum. *Juvi*, jutumque, juvare.

Lavo lavi, lotum vel lautum (nam veteres, lavo, lavis, lavi, lavere per tertiam dixerunt) in supino etiam lavatum: ab eo quod dicebatur lavavi, *to wash.* A lautum nascitur lautus, quod si nomen est, mundum, delicatum, aut elegantem significat. Poto potavi potatum, & sæpius potum; unde potor, potio, poturus. Potare aiunt esse luxuriæ, Bibere necessitatis. Compoto, *to drink together.* Compotor, qui cum alio solet potare. De hoc adagionem habemus. *Odi memorem compotorem.* Juvo juvi jutum. *to help.*

Virg. *Audentes fortuna juvat,*

Lectum est juvavi juvatum: Adjuvo, idem est quod juvo.

Trent.. *Forteis fortuna adjuvat.*

Præbet *ui* per itum *cubo*, cum *sono*, sive *crepare*,
Et *domo*, sive *tono*, *veto:* cum *plico*. *Nexo*, xui, xum,
Præbet *ui* per ctum *frico*, cum *seco*, junge *necare*.
Nulla supina careat *mico*, dans micui. Datur avi
Nonnullis. avi tantum dat *supplico:* sicut
Omne *plico* verbum quod dat cum nomine junctum.

Hæc

Hæc septem verba, Cubo, sono, crepo, domo, tono, veto, plico, faciunt per duas syllabas ui in præterito, & itum in supino: ut Cubo cubui cubitum, Nexo facit nexui nexum. Hæc tria verba, Frico, seco, neco, faciunt *ui* per duas syllabas in præterito, & *ctum* præcedente litera *c* ante *t* in supino: ut fricui frictum, secui sectum, necui nectum. Mico micui facit absque supino. Quædam ex dictis etiam dant avi in præterito & atum in supino: ut increpo increpui increpavi. Implico implicui vel implicavi, implicitum vel implicatum. Sic dimico dimicui sine supino, vel dimicavi dimicatum. At supplico, *humbly to require*, solum facit supplicavi supplicatum: ut duplico duplicavi duplicatum. Cubo, *to ly*. Olim dictum est cubavi cubatum: unde cubatio dicimus, Sic domatio, tonatio, non domitio, tonitio, & contra domitus, domitor. potius quam domatus, domator. Composita à cubo corripiunt penultimam, nisi assumant *m* ante *bo*, & fiant tertiæ conjugationis; ita tamen ut idem habeant præteritum: ut Accubo accubas, vel accumbo accumbis accubui, *to lye or sit down at table.* Virg --- *Tu das epulis accumbere divum.*
Occumbo vel occubo; *to die.* Virg.--*in utrumque paratus.*
Seu versare dolos. ceu certæ occumbere morti.
Idem per primam dixit.--*Nec adhuc crudelibus occubat umbris.*
Sono, *to sound.* Composita penultimam corripiunt: ut Assono, *to sound back.* Pers. ----*Reparabilis assonat echo.*
Rosona *to sound again.* Virg. ----*Rosonat clangoribus æther.*
Crepo, *to make a great sound or noise.* Ovid.
Et crepat in mediis laurus adusta focis.
Composita corripiunt penultimam: ut concrepo, simul crepo.
Terent. *Ostium concrepuit.* Increpo, *to reprove or sound.*
Ovid. *Abnuit Alcides, increpuitque lyra.*
Domo *to daunt*, Edomo, perdomo, idem fere valent, & penultimam corripiunt: quam corripiunt etiam composita à Tono, *to thunder.* Veto vetui vetitum, *to forbid.* Plico plicui plicitum, & aliquando plicavi plicatum, *to fold.* Plicatilis, qui plicatur. Applico penultima brevi, *to apply or joyn.* Explico, *to unfold or declare.* Implico, *to wind in*, Nexo nexas vel sæpius per tertiam nexo nexis, *to bind.* Composita à Frico habent penultimam correptam. Affrico, *to rub still.* Confrico, *to rub together.* Perfrico, *to rub fast.* Perfricui faciem

ciem, nec tamen profeci: Perfricare faciem aut frontem, est pudorem deponere. Refrico, *to rub again;* ut refrico desiderium aut dolorem, i renovo. Seco secui sectum, *to cut.* Composita penultimam corripiunt, ut Deseco. *to cut off.* Disseco, *to cleave, to cut assunder.* Reseco. *to cut away.* Neco necui nectum, vel necavi necatum, *to slay.* Eneco penultima correpta. Terent. *Cur me enecas!* Mico micui, sine supino, *to shine or glance;* ut Ensis micat, Fulgur micat.

Virg. ----*Crebris micat ignibus æther.*

Capitur pro movere. Virg. de equo.

Stare loco nescit, micat auribus, ac termit artus.

Ovid. *Corque timore micat.*--- Composita. penult. corripiunt: ut emico. *to kyth.* Dimico, *to fight.*

SECUNDA CONJUGATIO.

Præteritum per *ui* facit *es:* per *itumque* supinum.

Verbum secundæ conjugationis facit præteritum à secunda persona præsentis temporis, indicativi modi, singularis numeri, mutando *es* in *ui,* & in supino facit *itum,* ut Habeo habui habitum; *to have.* Prohibeo prohibui prohibitum, significat impedio ne quid incipias, *to forbid.* Inhibeo, veto ne in re cœpta procedas, *to inhibite.* Arceo arcui arcitum, *to drive away.* Cicero Philip. II. A progressu arcuit. Coërceo coërcui coërcitum, *to restrain.* Supinum etiam fuit arctum, unde nomen adhuc est. Arctus arcta arctum; *i* strictus, & frequentativum Arcto, *i* .stringo, nam idem Arceo aliquando significat. Composita mutant *a* in *e,* ut Aberceo. *to put away.* Exerceo, *to exercise or trouble.* Terent. *I sane, ego te exercebo hodie, ut dignus es,* Omnia verba secundæ conjugationis desinunt in *eo,* & nulla alia præter hæc primæ, beo, creo, screo, meo, calceo, laqueo, enucleo: & tria quartæ, eo, veneo, queo.

Dat *doceo* doctum, *teneo* tentum, *pateoque*
Passum. *Sic* mistum dat *misceo,* *torreo* tostum:
Censeo dat censum: *careo* cassum, caritumque.

Verba hic posita, præterita secundum regulam formant, supina contra regulam: ut Doceo docui doctum, *to teach.* Edoceo, plane doceo. Perdoceo, *to teach perfectly.* Dedoceo contrario modo doceo, docens alterum male decuisse, *to teach*

otherwise. Teneo tenui tentum, *to hold*. Composita mutant *e* in *i*, ut retineo, retinui, retentum. Sic detineo, contineo. Obtineo, *to get*. Sustineo sustinui sustentum, unde sustento, sustentas; *to suffer*. Abstineo, *to abstain*. Terent. Non manum abstines mastigia? Supinum esset abstentum, quod non est in usu. *Versus*.

Abstineo nullum video retinere supinum.

Pateo patui passum, *to be open*. Plaut. Ingredere tu, fores jamdudum patent: Patefio, aperior, Pando & patior etiam faciunt passum: Misceo miscui mistum, per *s* potius quam mixtum per *x*, *to mix or confound*; ut misceo aquam vino. Admisceo, ad aliquid misceo: Torreo torrui tostum, *to rost or burn*. Censeo censui censum, *to judge or esteem*. Censor, id est judex morum. Censura, id est judicium, castigatio.

Juvenal. *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Succenseo, *to be angry*. Terent. *Adolescenti nihil est quod succenseam*. Careo carui caritum, secundum regulam: & contra regulam, cassum, *to want*. Cicer. *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.*

Polleo præterito caret: & vix *nideo* donat.

Polleo caret præterito, quod nideo vix habet. Polleo, *I may or can*. Cato. *Ingenio pollet cui vim natura negavit.*

Composita sunt præpolleo, prævaleo, repolleo, revaleo, æquipolleo, æquivaleo, *to be alike*. Nideo, & renideo, *to shine*. Nidor, odorem significat rei exustæ vel assaræ.

Virg. ---- *Illi ingens barba reluxit,*
Nidoremque ambusta dedit. -----

Quod dat *ui* neutrum, *timeoque* carento supinis.
Tolle *valet*, *noceo*, *placeo*; *doleo*, *taceoque*,
Paret, *olet*, *careo*, *pateo*, *lateo*, *calet*, & *li*.

Verbum neutri generis, secundæ conjugationis faciens præteritum per *ui*, per divisas syllabas, cum unico activo Timeo caret supino: ut Splendeo, splendui. Maxima pars verborum secundæ conjugationis ad hanc regulam pertinet. Et sciendum, quod quæcunq; carent supinis, carent etiam omnibus à supinis formandis: ut sunt participia præter. tem. & futur. in rus, & futur. infinit. & verbalia in *io*, &c. Splendeo, *to shine*. Madeo, *to be wack or dunk*. Permadeo, *to be very*

ry wack. Studeo. *to study.* Surdeo surdes surdui, *to be deaf.* Surdesco surdus fio, sordeo, *to be vile or filthy.*

Virg. -----*Sordent tibi numera nostra.*

Candeo, *to be white,* Excandeo, *to very angry.* Frendeo frendes frendui, *to girn or gnash the teeth together.* Frondeo, *to bloom.* Virg. *Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.*

Egeo, *to lack.* Indigeo idem. Calleo gemino ll, *To understand.*

Terent. *Ejus ingenium pulchre calleo.*

Occalleo idem. Plin. *Longa patientia occallui.* Palleo, *to be pale.*

Ovid. *Palleat omnis amans.* ---

Expalleo, *to be very pale.* Coaleo, *to grow together.* Sileo, *to be quiet.* Vileo, *to be lightly esteemed* Jaceo, *to lye or be despised.* ut *Pauper ubique jacet.* Marceo, *to corrupt or spill.* Senec. *Marcet sine adversario virtus.* *Tolle valet,* &c. Pauca neutra quorum præterita per *ui* divisas syllabas fiunt, supina retinent. Valeo valui valitum, *to be whole and able.* Noceo nocui nocitum, *to hurt or skaith.* *Nunquam nocui tibi,* placeo placui placitum, *to please.* Displiceo, *to displease.* Senec. *Argumentum est recti malis displicere,* Doleo dolui dolitum, *to mourn.* Taceo tacui tacitum. *to be silent.* Cato.

Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Composita mutant *a* in *i* brevem, ut Reticeo, obticeo conticeo, unde conticesco. *Virg.*

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Lateo, *to lurk.* *Latet me,* id est nescio. Deliteo delitui supino caret: hinc versus.

Composita à taceo, & lateo, dant nulla supina.

Pareo parui paritum, *to obey.* Senec. Deo *parere libertas est.* Etiam significat nosci: Virg.

Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent.

Comparco, Appareo, idē. Dispareo, *to evanish.* Caleo, *to be hot.*

Ovid: 13: Met: v: 592: --- *Calituras ignibus aras.*

Oleo patebit & licet licuit, cum liceo & liceor, quæ omnia secundum analogiam in supino licitum faciunt.

Dant *di sum, prandet, videt & sedet* : at geminabit S *sessum, Stridet, stridi* facit, absque supino.

Prandeo dat prandi pransum. Video vidi visum: Sedeo sedi sessum gemino *ss.* Strideo stridi, absque supino. Prandeo facit etiam pransus sum, quia est neutro-passivum. Gaudeo

deo gavisum, in supino, & gravisus sum in præterito. Audeo ausum, ausus sum: Mœreo mœstus sum, de quibus in sequenti libro agemus. Prandeo, *to dine*; & ponitur simpliciter pro comedo. Horat.

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. ----

*V*ideo, *to see.* Composita corripiunt *i*, ut prævideo, *to foresee.* Provideo, *to provide*; *ut satis mihi providi.* Invideo dicitur quasi non libenter video, *to envy* *Invideo tibi scientiam*, i *doleo te scire*, Sedeo, *to sit.* *Sedet animo*, i. placet Supersedeo, *to cease.* Plaut. *Supersede istis rebus.* Obsideo, *to siege or inclose.* Omnia in præterito retinent e *longum*: ut obsedi, præsedi Strideo, facio stridorem, id est sonum violentum: Currus non linitus stridet. Dicitur etiam per tertiam strido stridis.

Di, sum, præterito geminato *mordeo* donat:
Ut *pendet*, *spondet*, *tondet*. Donat *Veo* vi tum.
Dic *fautum*, *cautum*. *Veo* neutra carento supinis.

*Q*uatuor verba dant *di* & *sum*, geminato principio præteriti: ut Mordeo momordi morsum, Pendeo pependi pensum: Spondeo spopondi, sine *s* in secunda syllaba, sponsum: tondeo totondi tonsum. Composita non geminant principium pæteriti, per regulam generalem prius dictam: Remordeo remordi, respondeo respondi. Mordeo, *to bite*; capitur pro lædo. Terent. *Par pari referto, quod eam mordeat.* Admordeo, valde mordeo. Demordeo, *to rive with byting.* Immordeo, id est morsum infligo. Pendeo, *to be hanging.* Ut toga pendet fur pendet. Composita sunt appendeo, dependeo, impendeo, suspendeo. Spondeo, *to promise.* Despondeo, *to wed.* Respondeo, *to answer.* Tondeo, *to clip or cow.* Detondeo; à summo deorsum tondeo. *Donat veo vi tum.* Verbum desinens in *veo*, facit præteritum in *vi* syllabam, quam supinum in *tum* mutat: ut Moveo movi motum. Foveo fovi fotum. Voveo vovi votum. Duo irregulariter supinum faciunt: ut Faveo favi fautum. Caveo cavi cautum. Reliqua in *veo* fere omnia supina non habent, quia neutra sunt: ut *Liveo* livi. Fervo fervi, pro quo Ferbeo ferbui dicitur: Conniveo connivi, vel connixi. Supinum connictum non in usu.

Versus

Versus. **Connivet vi, xique dabit, nullumque supinum.**

Conniveo, *to wink or dissemble.* Cicer. *Quibusdam in rebus etiam conniveo.* Moveo, *to move:* Terent, *Move te ocius nutrix.* Admoveo, demoveo, removeo, submoveo, *to remove.* Foveo, *to nourish.* Voveo, *to promise to God.* Votum, promissio & desiderium: ut compos voti, Composita à moveo, foveo, voveo, corripiunt *mo, fo, vo,* nisi in præteritis, & inde formatis. Faveo, *to favour;* *ut satis quisque favet.* Caveo, *to provide or eschew,* *Tuo capiti cave.* Præcaveo præcaves correpta *ca* syllaba, *to foresee.* Terent. *Hoc tempus præcavere mihi me monet.* Paveo pavi, sine supino, *to fear,* Flaveo, *to be yellow.* Liveo, *to be blay, or to envy,* Ferveo vel ferbeo *to be hot and angry.* Deferveo, fervorem amitto, *to cool.* Efferveo, *to be very hot.*

Dant quoque vi, tum *flet, plet, delet, net, ciet* adde
Cum *viet* ortum *oleo:* sed vult adolevit adultum.
Do simplex *oleo* per *ui*, mage nata per *evi*.

Sunt adhuc pauca secundæ conjugationis verba facientia præterita per *vi* syllabam, supina vero per *tum,* mutata *vi* in *tum,* ut Fleo flevi fletum, *to weep.* Pleto plevi pletum, sed non est usitatum nisi in compositis: ut impleo, compleo, repleo, *to fill.* Sic ab inusitato verbo leo, est deleo delevi deletum, *to abolish or scrape away.*

Horat.----*Delere licebit.*
Quod non edideris, nescit vox missa reverti.

Neo nevi netum, fila duco, *to spin.* Ovid.
Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit.

Cio cies civi citum, *to provoke.* Virgil.
Bella cient, primaque vetant consistere terra.

Idem. *Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.*

Pro eodem dicitur per quartam cio, quod idem cum illo habet præteritum & supinum, nisi quod citum a cieo, priorem corripit: ut indicant composita frequentativi cito: ut excito, oscito, concito, penultima brevi: citum autem à cio priorem producit. Vieo vievi vietum, antiquum verbum est, significans ligo & flecto. Unde vietores dicuntur qui vasa ligant, stipantque. Composita ab *oleo* sæpe habent evi etum: ut

ut aboleo abolevi aboletum. Suet. *Hoc decretum Vespasianus abolevit*. Habent quoq; ui tum: ut oboleo obolui oboluitum. Plaut. *At te Jupiter, Diique omnes perdant, oboluisti allium.* Oleo nunc olui olitum habebit semper. Adoleo adolevi adultum: oleo, *to savour*; ut *oles cervisiam, oles hircum*, composita hanc significationem semper non sequuntur: ut aboleo, *to abolish and put out of use.* Extoleo, *to pass out of use.* Inoleo *to come in use.* Ut *non probanda res inolevit*, oboleo, *to go out of use.* Tull. Obsolevit jam ista ratio, Adolesco, *to grow.*

Virg. -----*Tu fac mox, cum adoleverit ætas, Sis memor.* ---

Dant si, sum, *suadet*, *ridet*, *manet*, *hæret* & *ardet*,
Et *terget*, *mulcet*, *mulget*, *jubeo*, geminans ss.
Indulget, si, tum, cum *torquet*, sæpius optat.
Sorbeo, psi, ptum dat, vel norman rite reservat.
Dans *a* per *i maneo* minui *facit* absque supino.
Sic *urget*, si vult, cum *fulget*, *turget*, & *alget*.

Quædam habent si sum, ut suadeo suasi suasum, Jubeo jussi jussum, gemino *ss* utrobique. At indulgeo indulsi indultum: torqueo torsi tortum sæpius. Aliquando etiam indultum, torsum, sorbeo sorpsi sorptum, vel sorbitum. Composita à maneo mutantia, *a* in *i* breve, habent *ui* sine supino: *E*mineo eminui, Sic (id est sine supino) *urget si vult*, &c. Urgeo ursi cui conjunguntur, fulgio fulsi, turgio, tursi, algeo alsi sua deo, id est consulo, *to counsel*. Ovid.

Nox & amor, vinumque, nihil moderabile suadent.

Rideo risi risum, *to laugh or scorn.*

Ridear, & merito pectus habere neger.

Maneo mansi mansum. Sic permaneo permansi permansum, & quæcunque *a* non mutant in *i*. Maneo, *to abide or tarry* Præterea expectare. Terent.

Quem hic manes? Item instare. Ovid.

Fata manent omnes.---

In hoc ipso significato ponitur immineo. Tull. Mors propter incertos casus quotidie imminet. Emineo, *to kyth.*

Naso. *Eminet ante oculos, quod petis ecce tuos.*

Hæreo hæsi hæsum, *to stick still.* Terent. *Lingua hæret metu.* Hinc hæsito hæsitas, & capitur utrumq; pro dubio, *to doubt.* Idem. *Hæreo quid faciam*? Ardeo, *to burn.* Virg.

Tum

Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Tergo terges, vel tergo tergis tersi tersum, *to cleanse.*

Juvenal. ----*Vasa aspera tergeat alter.*

Mulceo & mulgeo habent communia præterita & supina mulsi mulsum, vel ut jam dicetur mulxi mulctum. Mulceo, *to mitigate*; hinc demulceo. Terent. Non possum pati quin tibi caput demulceam Mulgeo, *to milk.* Jubeo, *to command.*

Virg. *Infandum, regina, jubes renovare dolorem.*

Indulgeo, *to grant easily, or to make much of.* Terent. *Nimium filio indulges.* Torqueo, *to torment, or turn round.* Exemplum ultimi. Virg.

---- *Illum ter fluctus ibidem: Torquet agens circum----*

Sorbeo, *to sup.* Fulgeo, *to shine.* Urgeo, *to compell.* Turgeo, *to be boulden.* Algeo, *to be cold.* Horat.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Xi, ctum dant *mulcet*, *mulget*, *luget*, velut *auget.*
Xi, *friget*, *lucet*, *connivet*, at absque supino.

Hæc quatuor verba mulceo, mulgeo, lugeo & augeo, habent *xi* in præterito & *ctum* præcedente *c* in supino. Lugeo luxi, *to mourn,* Augeo auxi auctum, *to augment.* Cicer. *Natura non patitur ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus.* Additur his Sugeo suxi suctum, at invenitur per tertiam sæpius, Sugo unde exugo, & exugeo, *to suck.* Tria verba faciunt *xi* in præterito absque supino. Frigeo frixi, luceo luxi, conniveo connixi: quod etiam connivi habet, ut dictum est. Frigeo, *to be cold.* Luceo, *to shine.* Per luceo vel *r* in *l* verso pelluceo, transluceo, Plaut. *Pellucet quasi laterna Punica.*

TERTIA CONJUGATIO.

Vult xi ctumque *cio: facit*, & *jacit*, *ecit*, & *actum.*
Elicio per ui dat *itum*, fratres mage, *xi ctum.*

Verbum tertiæ conjugationis desinens in cio dat xi in præterito, & ctum per ct in supino, ut Aspicio aspexi aspectum. Excipiuntur. Facio feci factum, Jacio jeci jactum, Quorum composita quæ mutant a in i breve, faciunt supina in ectum, per regulam; *A quoties mutatur in i per e pono supino*: ut Inficio infeci infectum, injeci injici injectum, Quæ cum verbis vel adverbiis componuntur sequuntur simplex, ut Calefacio

facio eci actum, sit benefacio malefacio. Composita cum nominibus, transeunt in primam conjugationem. Magnifico; lætifico. Elicio magis habet elicui elicitum, quam elexi electum, *to allure out*. Reliqua ejusdem compositionis magis xi ctum faciunt, ut pelliceo pellexi pellectum. Terent. *Is senem per epistolas pellexit, modo non montes auri pollicens.* Simplex Lacio inusitatum est, significat in fraudem duco Sic exolevit Specio, *i.* video, compositis utimur quæ sunt despicio despexi despectum. Respicio, inspicio, perspecio, mutant *e* simplicis in *i* breve: Facio olim passivum habuit facior, pro quo nunc fio utimur, Jacio jacis jacere, *to cast*. Objicio, *to object or cast against*: Salust. *Ea si tibi falso objicio, refelle.* Rejicio. rursum jacio, *to cast off or refuse.*

Virg. ----*Ex humeris rejecit amictum.*

Dic fodi fossum; gemino *ss*: *fugi* fugitumque.

Fodio facit fodi fossum gemino *ss*: Fugio autem fugi fugitum, Fodio, *to delve*. Fugio, *to flee*. Composita utriusq; *fo* & *fu* syllabas corripiunt, exceptis præteritis, & ab eis formatis.

Ivi itumque *cupit*, *sapit*, *ivi* & *ui* dat itumque,
Dic capio, cepi, captum, *rapio* rapui, ptum.

Cupio facit cupivi, cupitum: sapio sapivi sapitum, penultima longa quia olim fuerunt quartæ conjugationis: verum sapio nunc sæpius quidem facit sapui sapitum, penultima brevi: capio cepi captum: rapio rapui, raptum. Sapio, *to have savour, or to be wise*. Cupio, *to desire*. Capio, *to hold, to take or understand*. Rapio, *to reive*. Horum omnium prima syllaba corripitur in compositis ut percupio, percupis: reliquorum composita mutant *a* in *i*

Horat. *Misce stultitiam consiliis brevem.*
Dulce est desipere in loco.
Accipe quam primum, brevis est occasio lucri.

Seneca, *Nil eripit fortuna nisi quod dedit*

Dat *pario*, peperi, partum, paritum. *Quatioque*
Dat quassi quassum, cussi cussum dabo proli.

In hic unicum verbum, Pario dat peperi partum, vel paritum. Hinc pariturus, illinc partus. In tio simplex unicum est, Quatio quassi quassum, composita sunt concutio, discutio excutio, percutio, &c. quæ omnia breviant secundam, &

in

Præterito cuſſi & ſupinis cuſſum habent: Parere proprie fœminarum eſt, *to bring forth children.* & metaphorice, Ter. ait: Obſequium amicos: veritas odium parit. *Quatio, to ſhake.* ut Quatio arborem.

Vult *uo* ſemper *ui* dans *utum.* Vult *fruo* xi ctum.
Datq; *fluo* xi, xum. *Pluo* vi, vel *ui*, dat & utum.
Vultq; *ruo* ruitum, dat utum proles tibi ſolum.
Nulla ſupina dabunt *metuo*, *luo*, *congruo* ſicut
Annuo cum ſociis: *cluo*, *reſpuo*, & *ingruo* junctis.

Verba in *uo* per diviſas ſyllabas deſinentia faciunt in præteritis *ui* per diviſas ſyllabas, & in ſupino *utum*, penultima longa: ut Arguo argui argutum, *to accuſe, or reprove, or ſhew.* ut arguo te furti. *Virg.* De *generes animos timor arguit.*----

Iumbo, *to weit or inſtruct.* Horat.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu.

A lavo compoſita hujus conjugationis ſunt, & in luo deſinunt: ut Diluo dilui dilutum, *to waſh or put away.* Excipiuntur quædam a regula, Struo facit ſtruxi ſtructum, *to build.* Fluo fluxi fluxum, *to flow.* ut aqua fluit, oleum fluit. Affluo, *to abound.* Ovid. *Affluit incautis deſidioſus amor.*

Pluo, plui, vel pluvi, plutum, raro legitur niſi in tertia perſona ſingularis, quia exemptæ actionis eſt, *to rain.* Ruo, rui ruitum, cado aut cum impetu curro, *to fall or run with force.*

Ovid. *Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?*

Compoſita non itum ſed utum volunt, penultima brevi: ut Diruo dirui dirutum, *to caſt down or deſtroy.* quædam ſequuntur regulam in præteritis, ſed carent ſupinis: ut metuo, *to fear,* Luo, *to pay or ſuffer.* *Virg.* P*oſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis.*

Item congruo & annuo, cum congenitis, quæ ſunt abnuo renuo, &c. Quibus addunt, Ingruo, *to invade.* Cluo, *to ſhine or fight.* & reſpuo, *to refuſe.* Spuo tamen & Nuo habent ſupina quemadmodum forte luo, & abnuo. Inveniuntur enim luiturus & abnuiturus participia. Nuo, *to nod.* Hinc annuere eſt aſſentire. Renuere, & abnuere, negare.

Bi *bo*, bitumq; facit. *Scabo*, *lambo* carento ſupina.
Ut *cubo*, ſic proles. Dant *ſcribo*, *nuboque*, pſi, ptum.

*V*erbum desinens in bo, facit bi in præterito, & bitum in supino, ut Bibo bibi bibitum, *to drink.* Naso.

Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros.

Deglubo deglubi deglubitum, *to flea.* Suet. Tiberii verbum est, Boni pastoris est tondere pecus, & non deglubere. Scabo scabi. *to rub.* Lambo lambi, *to lick.* Supina scabitum, lambitum, non sunt in usu, Composita a cubo incubo per tertiam desinunt, & abjecto in præteritis & supinis *m*, faciunt cubui, cubitum, ut cubo, velut procumbo procubui procubitum, Patent hæc in prima conjugatione, scribo scripsi scriptum *to write.* Nubo nupsi, viro trador, *to be married.* Composita à scribo producunt penultimam, à bibo corripiunt ubique.

In *vi*, *tum*, muta *sco.* P*asco* dat tibi pastum.
Agnosco, *cognosco*, dabis per *itum.* Nihil autem
Glisco dabit, velut incœptiva : *poposcit* habeto
Poscere, vult *disco* didici : *compescit ut dis*,
Hæc per itum flectam. C*onquexi* tolle supinum.

*V*erbum desinens in *sco*, mutat sco in vi syllabam & tum: ut Cresco crevi cretum, nosco novi notum, suesco suevi suetum. Excipiuntur à regula pasco, agnosco, cognosco, quæ præterita regulariter formant, pavi agnovi, cognovi. Supina vero contra regulam pastum, cognitum, agnitum. Nosco notum in usu habet. *V*idetur etiam noscitum aliquando habuisse, unde sunt nosciturus & ignosciturus participia. Glisco caret præterito & supino. Item præteritis & supinis carent verba incœptiva, id est inchoativæ formæ, saltem propriis. Capiunt autem præterita à primitivis : ut Calesco calui, tepesco tepui. Quorum significatio alia est quando his tribuuntur, quam ubi dantur primitivis. nam calui á calesco significat calidus factus sum, calui à caleo. idem quod calidus fui. Præterea tolluntur posco poposci, disco didici, compesco compescui, dispesco dispescui, quæ quatuor faciunt supina in itum, ut poscitum, discitum, compescitum, dispecitum: sed sunt raro in usu. Conquinisco, conquexi, sine supino dicimus. Cresco. i, augeor, *grow.* Juv. *Crescit amor nummi, quatum ipsa pecunia crescit.* Nosco, *to know.* ut Delphicum orulum est. *Nosce teipsum.* Agnosco, cognosco, idem.

Ovid. ---*Fama celebr ata per orbem.*

Littera

Littera cognosci quæ sibi quemque jubet.

Ignosco. *forgive.* Terent. Pater obsecro ut mihi ignoscas. Suesco, *to use.* Cic. A te id quod suêsti, peto, me absentem diligas atq; defendas, Desuesco, *to disuse*; insuesco, valde suesco. Terent. Qui mentiri aut fallere insueverit patrem, tantò, magis audebit cæteros. Pasco, *to feed.* Pasce oves meas, Pasco herbam, id est, edo Glisco, *to grow.* Posco, *to ask.* Reposco, *to ask again.* Deposco valde posco, Exposco idem. Disco, *to learn.* Dedisco, *to forget things learned.* Plaut. *Haud æquum facit, qui quod didicit, dedicit.* Edisco, *to learn perqueer,* Addisco, *to learn well.* Compesco, *to stay or strain.*

Juvenal. ---*Digito compesce labellum.*

Dispesco, *to sunder.* Plin. *Nilus Africam ab Ægypto dispescit.* Conquinisco caput inclino, ocquinisco, sine præterito & supino, idem est.

N mota, *ci*, *ctum*, *vinco* dat : *dicoque* xi, tum,
Ut *duco* : *parco* si, sumque, *pepercit*, itumque.
Icere, ci ctum vult. In *di* *sum*, *do* bene vertes.

Vinco facit vici victum, ablata *n* litera: Dico dixi dictum, duco duxi ductum parco parsi parsum, vel peperci parcitum: Ico ici ictum. Plin. lib. 13. *Italiæ parcitum est, vetere interdicto Patrum.* Vinco, *to overcome.* Cic. *Facile est vincere non repugnantes.* Convinco. devinco, evinco, idem. Dico, *to say or speak.* Duco, *to lead.* Sen *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt,* capitur pro judicare, & existimàre.

Virg. -----*Tanton' me crimine dignum. Duxisti.*-----

Parco, *to spare or forgive* Ico, *to strick.* Plin. *Fulmine laurus sola non icitur. In di, sum, do bene vertes.* Do mutatur in di & sum, ut Mando mandi mansum, *to eat or chew.* Scando scandi scansum, *to climb.* Defendo defendi defensum. *to defend.* Incendo incendi insensum, & accendo, *to kindle.* Exceptiones sequuntur.

Tollo *Cado*, *cecidi*, *casum*, ortis tolle supinum ;
Occido, cum paucis, teneat *pandi*, cape, *passum*.
Edi, sum, vel stum, dat: *pedo* pepedit, itumque.
Cado, cecidit habet: sic *pendo*, pependit, & in *sum*
Fiet utrumq; quibus par *tendo* est, dans quoque tentum.

Cado cecidi casum: Composita, paucis exceptis, ut infra, carent supino: ut occido, decido. Pando pandi passum. Edo pro comedo, edi esum vel estum, pedo pepedi peditum: cædo cum æ diphthongo cecidi cæsum: pendo pependi pensum tendo tetendi tensum, vel tensum: cado, *to fall*, ut cecidit in foveam quam fecit. Composita mutant *a* in *i* breve: ut occido occidi occasum, *to fall down*. Sol occidit. Et morior, *to die*. ut in Epit. Tul. Ovid. *Occidit indigne manibus laceratus iniquis:*

Tullius, ah! tumulo conditus exiguo.

Sic, incido, Recido. *to fall again*. Procido, *to fall before*. Excido, decido, satis nota sunt. Contra producunt penultimam composita verbi cædo, *to cut, strick or slay*; ut circumcido Recido, *to cut again*. Incido, *to cut in*. Decido, deseco. pando, id est aperio, vel spargo, *to open or cast abroad*. Virg.

Ecce trahebatur passis Priameia *Virgo*. *Crinibus---*.

Pedo, ventris crepitum facio: supinum est peditum, licet non sit multum frequens, pendo, *to hang*. ut pendo frutem aut togam, Tendo. *to bend or stretch out*.

Virg. *Tendunt vela noti.----*

Horat *Sperat infestis metuit secundis.*
Alteram sortem bene præparatum
Pectus, informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Submovet, Non si male nunc & olim
Sic erit. Quondam citharatacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Quod *do* componit, *didit*, atq; *ditum* dabit usque
Dic tamen *abscondi*, quod *itum poscit* mage quam sum
Sido præteritum nescit, sed nata cooptant
A sedeo, sedi: testes *consido, resido.*
Dant di præteritis *rudo strido*, carentq; supinis.

Compositum tertiæ conjugationis à *do*, facit didi in præterito: & ditum in supino: ut addo addidi additum, *to eek*. Edo, *to publish*. Mart.

Quum tua non edas, carpis mea carmina, Læli:
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Trado, *to deliver*. Dedo idem est. Terent. *Tibi pater me dedo*

dedo quidvis oneris impone, ac impera. Condo, *to make or build,* ut condo carmen, condo donum. Quandoque æquipollet suis compositis. Recondo, & abscondo, *to hide.* Plin. *Formicæ condunt æstate fructus, quibus hyeme fruantur,* Abscondo, sine geminatione abscondi facit, & absconditum melius quam absconsum.

Sido præteritum nescit. Sido proprio præterito caret, ob id etiam supino, propter significationis cognationem cum compositis præteritum à sedeo capere discitur, significat enim sidere demittere se, *to settle or sink down,* Virgilius de avibus loquens, 6 Æneid. v. 203.

Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.

Rudo rudi, strido stridi, supina non agnoscunt. Rudo, *to bray like an ass,* Perf. de irato juvene.-------*Arcadiæ pecuaria rudere credas.* Strido, *to screigh or noise.*

Tundo facit tutudi, tunsum compostaq; tusum.
Scindo scidi, scissum dat: *findo* fidi quoq; fissum.
Et *fundo*, fudi, fusum. *Si sum*, dato, *ludo*;
Divido, cum *vado*, *rado*, ceu *lædere*, *trudo*,
Et *rudo*, *plaudo*, *claudo*, *cedo* geminans.

Tundo facit tutudi geminans principium præteriti: in supino autē tunsum: in compositis ablata *n* litera tusum facit. Contundo contudi contusum, Immo & ipsum simplex quandoque tusum invenitur habere. Scindo scidi scissum, & findo fidi fissum, perdunt *n*, tam in præterito quam in supino ubi geminant *s*. Fundo fudi fusum, non geminat *s*, sed perdit *n*, tam in præterito quam in supino. Tundo, *to bray.* Contundo, simul tundo. Obtundo, *to dull.* Ter. *Ne me de hac re obtundas sæpius.* Scindo, *to cut* Abscindo *to cut away.* Exscindo *to destroy.* Rescindo, *to cut again or loose.* ut rescindo pactum. Composita à scindo & findo in præterito corripiunt penultimam: ut Diffindo diffidi diffissum. Findo, *to cleave.* Hinc dicimus ligna fissilia, fissa. Fundo, *to yeat or power forth,* ut fundo aquam. Fundo ollam, id est ollam fundendo facio. Fusile quod fundendo formatur: ut fusilis statua.

Si sum dato ludo. Decem verba mutant do in si sum: ut ludo lusi susum, & cætera versibus comprehensa, inter quæ cedo geminat ss, utrobique: ut cessi cessum. Ludo, *to play.*

Plin. *Ludere me putas, serio peto.* Item decipio, *to deceive.*

Virg. *Multa malus simul an vanâspe lusit amantem.*

Divido, *to divide.* vado, *to go.* Rado, *to shave*; ut rado herbam, rado ollam, rado terram. Corrado, *to gather together.* Terent. *Minas decem corrasi alicunde.* Lædo, *to hurt.* Composita mutant æ diphthongon in *i* longum, ut allido allisi allisum, *to bruise.* Collido, *to bruise together, or slay.* Illido, impellendo lædo, Trudo, *to thrust.* Mola trusatilis quæ manibus versatur. Extrudo, *to put out.* Intrudo, *to put in by force.* Detrudo, *to repel.* Rodo, *to gnaw*; ut Mus rodit caseum, caper vitem, canis ossa. Corrado, contero, Erodo, dentibus effodio.

Plaudo, to clap hands for joy. Applaudo, alicui plaudo. Claudo clausi clausum, *to shut or close.* Composita au in u longum vertunt, ut includo, excludo, *to shut out.* Recludo, *to open.* Secludo, *to close apart.* Concludo, *to close together, or imprison.* Cedo sine diphthongo, *to give place.*

Naso. *Cede repugnanti, cedendo victor abibis.*

Etiam cedo significat in partem venio.

Ovid. *Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ.*

Succedo, *to succeed.* Secedo, *to withdraw aside.*

Go, vel *guo*, xi, ctumq; facit. *Go*, *surgoq*; mutant
In *rexi*, *rectum*, *pergo.* Tamen ista supinis
N tollent *pingo*, *stringo*, cum *fingere*, *ringo.*
Tango, facit tetigi, tactum. Dat *ago*, egit, & actum.
Vult *frango*, fregi, fractum, *pegi*, *pepigique*,
Et panxi pactum *pango* capiet. *Lego*, gi, ctum:
At *xi*, *ctumque* dabunt *intelligo*, *negligo*, *dixi.*
Dat *pungo*, pupugi, punxi, punctum venit inde.

verbum in go vel guo desinens facit xi in præterito, & ctum in supino præcedente c, ut Affligo afflixi afflictum, *to trouble, and molest.* Confligo, *to fight.* Infligo, incutio. Plaut. *Inflixit mihi vulnus.* Producunt hæc penultimam, quorum simplex fligo obsolevit Rego rexi rectum, *to govern.* Composita mutant *e* in *i* brevem, ut arrigo, *to lift up.* Ter. *Arrige aures, Pamphile.* Corrigo, *to amend.* Terent. *Si quid peccatum arte corrigas.* Pergo perrexi, *to proceed.* Surgo surrexi, *to rise*; quia cum sint

sint à rego, dictum est. Perrigo, surrigo. Assurrgo honoris exhibendi gratia surgo, insurgo, *to rise in contrary*. Stinguo stinxi stinctum, *to put away*. Obsolevit. Composita in usu sunt. Instinguo, *to inspire*. Distinguo, *to distinguish*. Restinguo, *to repel or put out*: Extinguo, *to put out, or slay*: Horat.

Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem:

Tamen ista supinis: Excipiuntur quædam à regula, & primo quatuor quæ rectè præteritum formantia in supino perdunt *n*, ut pingo pinxi pictum, *to paint*. Stringo strinxi strictum, *to strain*: Plin. *Apprehensamque manum strinxit*: Fingo finxi fictum, *to feign or fashon*: Salust. *Omnes homines, qui sese student præstare cæteris animantibus summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora quæ natura prona, atque ventri obedentia finxit*: Ringo rinxi rictum, vel ringor, *to grin or be angry*. Terent. *Ille ringitur. tu rides*. Nec præterita, nec supina, juxta regulam formant hæc. Tango tetigi tactum. ago egi actum, notæ significationis verba, Ab hoc quia cogo est, facit coëgi, coactum, *to compel or gather*; ut necessitas me coëgit. *Virg. Tityre coge pecus*. Frango fregi fractum, *to break*. Pango pepigi pegi, vel panxi pactum, *to fasten, to make or write* Cicer. *An pangis aliquid* Sophocleum ? *Fac opus appariat*. Lego legi lectum. Sic omnia ejus composita, exceptis tribus. Intelligo intellexi: negligo neglexi: diligo dilexi. Pungo pupugi, vel punxi punctum, *to prick or sting*. Composita pleraque faciunt *xi*.

Dant si sum, *spargo, mergo, tergoque*. Locabis
Per xi xum, *figo, frigoque*. Carento supinis
Cum *dego, satago, sugo*, ceu *lingit*, & *angit*. (ctum
Vergo tenet neutrum, velut *ambigit*. *Ho* dato xi
Mejo facit minxi mictum ; cave dicere *mingo*.

Hæc tria verba, Spargo, Mergo, Tergo, faciunt si & sum: ut sparsi sparsum, mersi mersum, tersi tersum. Spargo, *to scatter abroad*. virg. *Sparge marite nuces*: spargite humum floribus Mergo, *to dowk or drown*. Tergo, *to dight*. Detergo idem significat. Duo xi, habent in præterito, xum in supino scilicet, Figo fixi fixum. & frigo frixi frixum. Figo, *to fasten* Hieron: *Cerne manus, Judæe quas fixeras, cerne latus Romane*

quod

quod foderas, Frigo, *to fry*; Frixorium, *a frying pan*. Hieron. in Esaiam. *Confrixa sunt ossa mea tanquam in frixorio.* Quædam verba in go terminata, aut raro aut nunquam habent supina: ut Dego & satago ab ago composita: Sugo suxi, *to suck*, Lingo linxi, *to lick*. Plaut. *Mel videtur lingere*: Ango anxi, *to torment or trouble*. vergo versi versum debuit habere: sed neutrum est in usu, *to pass toward*. Cicer. *Perspice quo ista vergant, mihi que rescribe*. Utroque caret etiam ambigo, *to drive about or doubt*. Terent: *Simo & Crito vicini nostri hic ambigunt de finibus. me cepere arbitrum*: Dego, *to take away*: Plaut: *Istum laborem, soror degam & diminuam tibi*. Item transigo, *to live or dwell in a place*: ut *Scipio degit vitam Linterni*: Satago solicite ago, seu laboro, *to be very careful and diligent*: *Ho dat xi ctum*. Duo sunt verbo in *ho*, & faciunt *xi* in præterito, *ctum* præcedente c in supino: Traho traxi tractum: veho vexi vectum, Traho, *to draw with force*: Hinc trachea & traha, vehiculum sine rotis: Contraho, *to draw together*:

Horat: *Contrahas vento nimium secundo Turgida vela*:

Veho, *to carry*. Eveho & proveho, *to extoll and advance*.

Virg.---- *Pauci quos æquus amavit*
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Livius. *ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia alios gloria militaris provexit*. In *jo* per *i*. consonantem unicum est verbum Mejo, pro quo mendose passim invenitur mingo facit autem minxi mictum, *to piss*.

Persius.-----*sacer est pueri locus, extra Mejite.*

Lo, dat *ui*, *Colo*, *consulo* & *occulo* dantur in ultum
Altum dic vel itum: molitum *Molo*, *Celloq*; celsum
Cello facit ceculi, culsum: *pepuli* dato pulsum.
Velli vel vulsi dat vulsum. *Fallo* fefelli.
Fallum. Sublatum dat *Tollo*, *sustulit* atque.
Salio facit salli salsum. *Psallo* dato psalli.
Nulla supina dabunt *psallo*, *volo*; jungito prolem

Verbum desinens in lo facit præteritum in *ui*: ut Colo colui, alo alui, consulo consului, occulo occului, cello cellui, molo molui. Inter hæc, colo, consulo, & occulo, faciunt supinum in ultum, ut cultum, consultum, occultum. Alo dat

dat altum vel alitum: molo solùm molitum, unde nomen molitor. Cello sine dipthongo celsum facit, unde nomina celsus & excelsus. Cællo cum *æ* diphthongo cēculi culsum facit: Pello facit pepuli pulsum: vello velli, vel vulsi vulsum; Fallo facit fefelli falsum, tollo sustuli, sublatum, à composito suo sustollo, olim fecit tetuli; Sallo facit salli salsum; Psallo psalli, supino caret *r* ut volo volui: colo, *to worship or reverence, to till.* Macr. *Vectius cum monumentum patris exarasset, ait Augustus, hoc est, vere monumentum patris colere.* Consulo cum dativo est consilium do, *to give counsel*; ut *Senes junioribus consulunt,* & provideo: ut, *male consuluisti famæ tuæ.* Consulo cum accusativo, peto consilium, *to ask counsel.* Occulo, *to hide.* Alo, *to nourish or maintain*; ut *Honos alit artes.* Molo, *to grind.* Cello sine diphthongo, id est cedo jam obsolevit: Composita in usu sunt, excello, antecello, præcello, *i* præcedo & supero, *to excel.* Dicimus quoque per secundam excello. Cællo cum æ diphthongo; i. cædo vel frango, extra compositionem jam non utimur: composita percællo & procællo, *to break or overthrow.* Hinc procella, *a storm.* Pello, *to put away.* Boethius de consolatione Philos. lib.

Gaudia pello. *Nubila mens est.*
Pelle timorem, *Vinctaque fræ nis,*
Spemque fugato, *Hæc ubi regnant.*
Nec dolor adsit.

Vello, *to pluck.* Fallo, *to deceive.* Terent. *Eho, quæso, laudas eos qui heros fallunt?* res fallit me, id est nescio, latet me. Horat. *Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.*

Tollo, *to lift up or take away, or slay.* Utrumque significatum perspicitur ex illo in Neronem disticho.

Quis neget Æneæ magna de stripe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Sallo, *to salt*; Salsus, sale conditus: & qui salibus & scommatis hominem aspergere novit, ut apud Horatium, salsus homo. Insulsus; non salsus & ineptus, Psallo precedente *p*, cano & propri e instrumento musico, *to sing or play on instruments.* Sallust. Psallere, & cantare doctius quam probæ mulieri satis est.

Mo per *ui*, dat *itum. Tremo* ponitur absq; supino.
Dant psi ptum *demo*, *promo*, cum sumere *como.*

vult

vult *emit*, *emi*, *emptum*, geminans *s*, dat *premo* si, sum

Verbum desinens in *mo*, facit *ui* per divisas syllabas; & *itum*: ut vomo vomui vomitum, *to vomit*. Fremo fremui fremitum, *to roar and make a noise*. Tremo tremui, caret supino *to tremble*. Quatuor in *mo* habent psi ptum: ut demo dempsi demptum. Como compsi comptum, Demo, *to take away*. Horat. *Deme supercilio nubem*. Promo, *to bring forth or expone*. Plaut. Prompsisti tu illi vinum? non prompsi. Sumo, *to take*. Cicer. Quanquam non mihi tantum sumo, Judices, atque arrogo. Como, *to dress or comb*. Comptus ornatus, incomptus, inornatus. Emo emi emptum, *to buy*, ut emi librum. Composita mutant *e* in *i* breve; ut redimo, redemi redemptum. Adimo, *to take away*. Ovid.

Nam vires ademit veneris damnosa voluptas.

Premo pressi pressum, utrobique gemino *s*, *to tread down or press*. Composita mutant e in i breve. Exprimo, *to press out or to speak out*. Plin. Exprimere non possum quanto gaudio sim affectus.

Ponere, cum *gigno*, per ui, per itumque locabo.
Dico *cano* cecini, cantum: Per *ui* fit & *entum*
Proles. Dat *Temno* psi, ptum. *Vi* vertimus in *tum*
Præteritis, *sivi*, *sprevi*, *stravi*, quoque *crevi*.
Lini, vel levi livive, litumque supinum est.

Verba in no pauca sunt, nec datur hic regula, sed ponuntur singula. Pono & gigno habent ui per divisas syllabas & itum: pono posui positum: gigno genui genitum, cano cecini cantum. Composito mutant a in i brevem, & faciunt ui per divisas syllabas, & entum, ut præcino præcinui præcentum, Temno tempsi temptum. Quinque in *no* verba faciunt præterita in *vi* syllabam, quam in tum mutando, faciunt supina, ut sino sivi situm. Sperno sprevi spretum. Sterno stravi stratum. Cerno crevi cretum. Lino livi litum. Item lini vel levi in præterito. Pono, *to place or lay down*. Pone metum: Gigno, *to engender*. De viro & fœmina dicitur. Transfertur etiam sæpe ad alia.

Horat. *Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,*
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Cano,

Cano, *to sing*. Virg. *Non canimus surdis.*---
Temno, id est sperno, *to lightly*. Virg. *Discite justitiam moniti, & non temnere divos.* Magis in usu est compositum: Contemno contempsi contemptum. *Sino, to let alone.* Sperno, *to dispise.* Sterno, *to spread down or cover.* Præteritum & supinum verbi Cerno extra compositionem raro leguntur; significat autem video, *to see.* Lino *to smeir or anoint.* Quintil. Linisti parietem mariti sanguine, Penultima hujus verbi in præsenti & supino corripitur, Dicimus & Linio per quartam.

Po, psi, ptumque facit. Rupi ruptum, dabo *rumpo*
Donat *ui* per *itum strepo*, cum *crepo. Dat Coquo* xi xum
Vult *linquo*, liqui: lictum natis dabis apte.

*V*erbum desinens in po facit psi & ptum præcedente p, ut repo repsi reptum: sic carpo, serpo, clepo, sculpo. At rumpo, dempo *m.* facit rupi, ruptum. *S*trepo & crepo (quod sæpius primæ conjugationis est) facuint ni in præterito, & itum in supino. Repo & serpo, *to creep*. Composita penultimam producunt. Adrepo vel arrepo, *to creep till.* Irrepo, *to creep in.* Obrepo, *to come quietly*. Senectus obrepit homini; somnos obrepit oculis. Cicero filius de Cratippo. Exoro ut mecum quam sæpissimè cœnet: hæc introductâ consuetudine, sæpe inscientibus nobis, & cœnantibus obrepit, sublataque severitate Philosophiæ humanissimè nobiscum jocatur Carpo, *to pluck.* virg. *Carpent tua poma nepotes*:

Clepo, *to steal.* Livius, Si quis clepsit, ne populo scelus esto: neve cui cleptum erit. Sculpo sculpsi sculptum, *to carve or grave.* Rumpo, *to break.* Rumpo vocem aut silentium, id est, loquor. Strepo, *to make great noise*. Perstrepo, valde strepo, instrepo in aliquo strepo. Apes instrepunt floribus. Obstrepo, contra strepo. Instrepo, inter aliquid strepo, corripiunt omnia penultimam.

Dat coquo xi ctum. Duo sunt in *quo*. Coquo coxi coctum, liquo liqui lictum, quo supino in simplici vix utimur. Sed bene in natis, id est, in compsitis: ut Relinquo relinqui relictum. Coquo, *to seeth.* Coquo cervisiam non braxo. Linquo *to leave.* Relinquo idem: ut *Cordato viro relinquende nuga.*

Ro

Ro, vi, tumq; dabit. Gessi *gero* vult quoq; gestum
Uro, ussi ac ustum. *Verro*, ri, si, dato versum.
Curro cucurrit habet cursum. *Dat ui* sero natum
Atq; ertum: dat & evit itum, sub duplice sensu.

*V*erbum desinens in ro, facit in præterito vi syllabam. in supino tum: ut tero trivi tritum, quæro quæsivi quæsitum, quod per syncopam etiam quæstum facit. Unde quæstus, quæstor. Excipiuntur Gero gessi gestum. Uro ussi, ustum. Verro verri vel versi versum, Curro cucurri cursum. Sero juxta regulam facit sevi, & in supino *e* in *a* mutato satum, significat semino aut planto, *to sow or plant*. *Q*uam significationem si composita sequuntur, habebunt *evi* in præteritis, *itum* penultima brevi in supinis, Sin recedunt à simplicis significatione, recedunt etiam a simplicis præteriti. supinique forma, faciuntque ui ertum: ut Assero, i prope sero vel planto, habet assevi assitum, *to sow near*. Assero autem pro affirmo, asserui, assertum, *to affirm*. Sic dissero pro disputo vel narro, disserui disertum, unico s in supino, *to dispute or reason*. Sic sero olim habuit serui sertum. Tero, *to consum or break in peeces*. *Q*uæro quæsivi quæsitum, cum *s* in præterito & supino, *to seek or to spear*. ut quæro ex te vel à te. Magister quæsivit de te. Composita mutant æ diphthongon in *i* longum: ut Acquiro, *to get*. Gero, *to bear*: Gerulus, portator & gestator: gero quoque est rego *to guide*: ut *Pettus bene gerit*. Composita corripiunt penultimam; ut Aggero, *to gather together*. Hinc Agger, Aggero aggeras primæ, *to augment*, Uro *to burn or hurt*: Uro hominem, id est dolore afficio: Composita penultimam producunt: ut aduro adussi adustum, & comburo, *to burn*, Amburo, *to burn wholly*: *Verro*, *to sweet or cleanse*. Juv:

Verre pavimentum, nitidas ostende columnas:

Curro, accurro, excurro, incurro, præcurro facile patent: Occurro, *to meet or resist*: Succuro *to help or come in memory*, Tul: *Ut enim quidq; succurrit, libet scribere*: Fero tuli latum. à tulo obsoleto verbo, & hoc in sequenti libro patebit; Furo, i insanio, præterito supinoque apud veteres caret, *to be mad*:

Unde nota, si alicui præteritum desit, capi illud à synonymo, ut Furo, insanivi ab insanio, aio dixi á dico: sic scabo in supino, frictum à frico.

So, vi, tumq; facit, Si, ſumque *faceſſo*, *capeſſo*,
Cum *viſo*. *Pinſo* dat pinſuit, indeque piſtum.

*V*erbum deſinens in ſo, facit ſivi, & ſitum, ut Laceſſo laceſſivi laceſſitum, penultima longa, *to trouble or provoke.*

Virg. *Efficiam poſthac ne quicquam voce laceſſas.*

Poteſt etiam in præterito habere laceſſi, & Arceſſo, arceſſivi arceſſitum, *to accuſe.* Accerſo, accerſivi, accerſitum, *to call or go to call.* Horat.

Si melius quid habes accerſe, vel imperium fer.

Terent. *Obſtetricem accerſe.* Hoc venit ab accio accis.

Tria verba in ſo faciunt ſi ſum. Faceſſo faceſſi, id eſt facio, vel eo ad faciendum, *to do or go to do.* Viſo, viſi, viſum, eo ad videndum, *to viſit*, pinſo pinſui, piſtum. id eſt tundo: nam veteres uſu molarum carentes frumenta piſtillis terebant. Nunc pinſo capimus pro panem facio. *to bake.* Supina etiam ſunt pinſitum & pinſum, licet non frequentia. De quæſo dicetur libro ſequenti.

Xi, xum, dant *plecto*, cum *flecto*, *nectere*, *pecto*.
Hæcque *xui* duo dant. Ivi *peto* donat, & itum.

*V*erba in *to* pauca ſunt, ideo non datur generalis regula: ſingula enumerantur: & primo plecto facit plexi, plexum, & flecto flexi flexum, necto, nexi, vel nexui nexum: Pecto pexi, vel pexui, pexum. Peto petivi petitum, plecto, *to ſtrick or puniſh.* Hor. *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.*

Interdum plecto idem eſt quod flecto, hoc autem ſignificat inclino vel curvo, *to throw.* Necto, *to bind.* Nexillis, id eſt nexus, ligatus. Pecto, *to comb or dreſs.* Pexus, id eſt ornatus, pulcher, cultus, elegans. Horat. Ep. 1. v. 95.

----Rides, ſi forte ſubucula pexæ. Trita ſubeſt tunicæ.---

Peto, *to ask.* ut peto pecuniam. At peto te lapide, id eſt invado, proſequor, *to invade.*

Mitto, facit miſi, miſſum. *ſſ* geminando ſupino.
Sque *meto* geminans. *ſuit*, & *ſum*. *Vertoque* verti,
Et verſum. *Sterto* dat ſtertuit abſque ſupino.

Mitto facit miſi miſſum, gemino *ſſ* in ſupino, meto facit meſſui meſſum, gemino utrobique *ſſ*. *V*erto dat verti verſum: ſterto ſtertui ſine ſupino. Mitto, *to ſend, to leave or put away.*

Horat. *Mitte leves spes, & certamina divitiarum.*

Plurima hic sunt composita, ut Omitto, *to leave off.* Demitto, *to let down.* De priore Horat.

Quem sua culpa premit deceptus, omitte tueri.

De altero. Idem.

Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus.

Meto, *to shear.* Demeto penultima brevi, *to cut off.* Virg. *Demetto ense caput*, verto, *to turn.* Hinc frequentativum, verso *to turn often*; ut equus versat molam. *Quid versas animo?* id est, quid cogitas? Sterto, *to snoar or sleep.* Ter, *Homo fatuus, est insulsus, tardus, stertit noctes & dies.*

Neutrum *sisto* nihil dabit, activum stitit edit: Deinde statum format: nobis est Gellius autor.

Sisto neutri generis significans sto, caret proprio præterito, atque supino, potest tamen utrumque sumere à sto, sisto steti statum: & composita à sisto capient utrumque à compositis à sto, quia eandem cum iis significationem habent, ut consisto, constiti, constitum, sic resisto, obsisto, assisto, circumsisto, persisto, desisto. &c. sisto activum habet stiti in præterito, & statum in supino. In activo genere nulla gignit composita, & significat stare facio: ut siste lachrymas, *to stay*

Virg. *Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.*

Item significat in præsentiam alicujus adduco, *to bring in presence.* Virg. *Annam cara mihi nutrix huc siste sororem.*

Dat *vivo*, xi, ctum. *Solvo* vi format & utum. Ut *volvo*. Calvi *calvo* facit, absque supino.

Quatuor sunt verba in *vo* syllabam desinentia, quorum vivo facit vixi victum, solvo solvi solutum, volvo volvi volutum, calvo, calvi sine supino. Vivo, *to live.* Pers. *Vive memor lethi, fugit hora.* --- Solvo, *to loose or pay debt.* Ter. *Neque tu verbis unquam solves; quod mihi re malefeceris.* Volvo, *to rowle.* Terent. *Satis diu jam hoc saxum volvo.* Devolvo, *to rowl down.* Convolvo. *to rowl together.* Calvo, *to frustrat or deceive.* Passivum calvor, calvo calvas primæ id est, calvum facio, *to make bald.* Calveo, *to be bald.* Calvesco fio calvus.

Nexo, xui, xum, v ult. *Texo*, xuit indeque textum.

In *xo* tertiæ verba duo sunt: Nexo nexui nexum. *to knit or bind* Texo texui textum, *to weave.* Terent. *Texentem telam studiose*

studiose ipsam offendimus, Ponitur etiam pro componere, facere, fabricare, scribere, colligere. Attexo, *to put to*. Contexo, *to make or weave together*.

QUARTA CONJUGATIO.

Ivi quarta facit: vi semper vertitur in tum.

*V*erbum quartæ conjugationis facit in præterito *ivi*, & in supino *itum* penultima longa: ut audio audivi auditum: scio scivi scitum: sic crocio, vocifero, ut corvus, *to crowp*. Glocio *to keckle*. Cucurio, penultima longa, *to crow*. Lascivio, *to be wanton*. Sopio, dormire facio, *to bring on sleep*: Garrio, *to clatter*. Aves garriunt, id est cantillant. Habent itum penultima brevi, eo & queo, cum compositis, ut redeo reditum, nequio nequitum. Ambio, i. circumeo, item ambiendo appeto. *to go about. or desire*. Ambitus tamen participium producit penultimam, quam corripit ambitus nomen, id est ambitio. De participio. Ovid.

----Rapidisque tumescere ventis
Jussit: & ambitæ circundare littora terræ.

De nomine Lucan. *Ambitus & luxus, & opum metuenda facultas*. Queo, *I may*. Nequeo, *I may not*.

Singultit, vult singultum, *sepelire* sepultum.
Væneo dat vænum: veni ventum *venio* vult.

Excipiuntur à regula quædam. Primo, tria secundum regulam facientia præteritum, & contra regulam supinum: ut singultio singultivi singultum, sepelio sepelivi sepultum, væneo venivi venum, at venio facit veni ventum. Singultio, *to sob*. Hinc singultim Adverbium, *with sobbing*.

Horat, *Ut veni coram, singultim pauca loquutus*.

Sepelio, *to bury*. væneo, id est vendor, quasi vænum eo, *to be sold*. Supinum multi Grammatici dicunt esse vænum, quod pro vænitum ponitur. venio, *to come*. Composita corripiunt syllabam *ve* in præsenti, sed in præterito producunt: ut advenio, *to come to*. Hinc adventus, advento adventas, *to draw near*. virg. 6.

Adventante Dea. procul ô procul este profani.

Pone *Amicit* per *ui* per ctum. Dat *Vincio*, xi, ctum
Sancio jungatur, quod & ivi format & itum.

Amicio facit, amicui amictum, *to cloath*. vincio vinxi vinctum

ctum sancio sanxi sanctum, aliquando sancivi sancitum. Vincio, *to bind*. Devincio, *to oblidg*. Cicer. *Sanguinis conjunctio devincit homines charitate*. Sancio, *to statute under a pain*.

Lucan. *Romanas sancire volunt hoc sanguine leges*.

Haurit si, stum, dat, psi, ptum, dat, *sepio*, saltum
Et salui, *Salio*: proles formantur in ultum
Dat *psi ptum*, *cambit*. Legi hæc quandoq; per ivi.

Haurio hausi haustum, vel sine t hausum, *to draw up*. Sepio sepsi septum, *to hedge or dyke in*. Salio salui saltum, *to lowp*. Ovid. 1. Fast. Per *flammas saluisse pecus, saluisse colonos*.

Cambio psi psum, *to wissel or change money*. Hinc compsor & compso. Invenitur autem & ivi habere: ut cambivi cambitum. Sic haurio haurivi hauritum: sepio sepivi sepitum: salio salivi non tamen salitum. Cujus composita mutant *a* in i brevem: ut insilio ui vel *ivi*, insultum.

Sentio, si, sum, vult, ut *raucio*. *Fulcio* si, tum,
Et *sarcit*, *farcit*. Per *ui* mutatur, & ertum
Ex *pario* natum; Ri *comperit* & *reperit*, vult.

Sentio sensi sensum: raucio rausi rausum: Tria faciunt si, tum, ut Fulcio fulsi fultum. Ovid. *Hercule supposito sidera fulsit Atlas*. Sarcio sarsi sartum: farcio farsi fartum. Composita à pario quæ mutant *a* in *i* brevem, faciunt *ui* per divisas syllabas, ertum. Aperio, aperui, apertum. At duo habent ri & ertum: ut Comperio comperi compertum, reperio reperi vel repperi repertum. Sentio, *to perceive or feel*. Raucio, *to be hoarse*. Dicitur & rauceo, unde raucesco. Fulcio, *to fortifie or hold up*, Sarcio, *to mend*. Farcio, *to fill*. Aperio, *to open*. Comperio, & reperio, *to find*.

Ovid. ----*Tu non inventa, reperta es*.

Aio præterito caret, & meditantia verba.
Parturio, *esurio*, cum *nupturio* volo tolli.
Præteritoque caret *ferio*, dabit attamen illi
Mutuo *percutio*, *percussi*. *Gestio* dicunt
Sumere *gestivi*, sed deficiente supino.

Aio, id est dico, caret præterito: verba meditativæ formæ carent præterito, & proinde supino; ut dicturio, i. cupio dicere

rere, *to desire to speak*. Esurio tamen esurivi, & parturio parturivi: nupturioque nupturivi, Ferio, *to strick*; caret proprio præterito, mutuatur tamen à synonymo percutio. Gestio habet gestivi sine supino, *to shew joy by the gesture of the body*.

Deponentium & Communium præterita & supina.

Ex *or* finitis activam fingito vocem,
Ut *potior*, *potio*: formabitur inde supinum.

Verbis in *or* propria desunt præterita, sed eorum loco ponimus substantivum verbum, cum eorundem verborum participio præteriti temporis, quod à posteriore supino formatur Hoc igitur pacto in illis formam supinorum investigabis. Finge deponentia ac communia in *o* terminari posse, deinde ex præceptis hactenus traditis, tribue illis in *o* mutatis, præterita quoque fictitia, & supina: ut a potior, finge potio potis potire, hoc si uteremur, juxta regulam de quarta conjugatione haberet potivi, potitum, potitu, quæ nunc sunt supina verbi potior, cui propterea dabimus potitus sum in præterito, Sic considerabis in prima conjugatione Abominor, testor, verecundor. &c. In secunda vereor, revereor, liceor, polliceor, & si qua sunt alia. In tertia Nascor, fungor, patior. Potior quartæ conjugationis est, & in quibusdam personis etiam tertiæ, *to get or bring in subjection*.

Virg. *Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat. & auro vi potitur*,

Lucil. *Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur*.

Abominor, *to detest and abhor*. Testor, *to be witness, or take to witness*, Testor Deum. Detestor, *to hate or deteast*. Salomon *Arrogantiam & superbiam & os bilingue detestor*. Verecundor, *to be shameful*. Plaut. *verecundari neminem apud mensam decet*. vereor, *to fear*. Plin. *Multi famam, pauci conscientiam verentur* Revereor, *to reverence*. Liceor, *to apprize or cheapen*. Licitum licui, supina inusitata sunt: sic & præteritum licitus, cujus vicem supplet derivativi præteritum licitatus sum. Polliceor, *to promise*. Nascor, *to be born*. Fungor, *to exercise an office*. Patior *to suffer*,

Sequuntur exceptiones.

Nil formant *vescor*, *liquor*, *medeor*, *reminiscor*-

Supinis & proinde præteritis carent. Vescor, liquor, medeor, reminiscor, inter quæ medior secundæ conjugationis

est: reliqua tertiæ conjugationis sunt. *Vescor, to eat.* Convescor, *to eat or live together.* Liquor, *to be melted.*

Ovid. *Liquitur ut glacies incerto saucia sole.*

Reminiscor, *to remember.* Medeor, *to remeed or hail.* Cicer. *Philosophia medetur animis.*

Non servant normam *tutus*, *tuitus*, *ratus*, *aptus*,
Et *fassus*, *fructus*, *fruitusque*, *profectus*, & *ultus*.
Atque *sequutus*, & *experrectus*, junge *loquutus*,
Nisus vel *nixus*, *gressus*, velut *orsus*, & *usus*,
Oblitus, *questus*, *commentus*, junge *misertus*:
Et *fessus*, *mensus*, *lapsus*, *nactus* quoque *pactus*:
Mortuus ac *ortus*: sed donat iturus utrumque.

Formant supina & proinde præterita contra regulam verba, quorum participia præteriti temporis in litera posuimus. Tueor tutum, *to defend.* Supinum etiam tuitum, hinc participium tuitus & verbale in *io*, tuitio: Habet quoque tutum vel tuitum, hujus synonymum tuor tueris tertiæ conjugationis, cujus infinitivus non est usitatus nisi in compositis: ut contui, intui, obtui. Reor, ratus sum, *to believe.*

Ovid. *Sum ratus esse feram, telumque volatile misi.*

Apiscor aptus sum, *to get.* Verbum est obsoletum, pro quo utimur composito Adipiscor, adeptus sum. Fateor, fassus sum, *to grant*; ut fateor culpam. Composita mutant *a* in *i.* ut Diffiteor, diffessus sum, *to deny.* Fruor; fructus vel fruitus sum, ut Utor, usus sum, in hoc differunt, quod utimur quopiam alterius, rei aut commodi gratia, fruimur vero nullius. nisi ut voluptatem capiamus, ideoque in idem recidunt frui, delectari, voluptatem capere. De utor pulchrum est Matherbalis in Hannibalem exemplum apud Livium: Non omnia nimirum eidem Dij dedere. Vincere scis Hannibal, victoria uti nescis. Proficiscor profectus sum, *to go.* Ulciscor ultus sum, *to revenge.* Sequor sequutus sum, *to follow.* Expergiscor, experrectus sum, *to waken.* Horat.

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones.
Ut teipsum serves non expergisceris.---

Loquor loquutus, vel per c locutus sum, *to speak.* Nitor nisus vel nixus sum, *to endeavour, or learn to.* Ovid.

Nitimur

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Gradior gressus sum, *to gang*. Ordior orsus sum, *to begin*. Obliviscor, oblitus sum, *to forget*. Queror questus sum, *to complain*. Comminiscor commentus sum, *to devise*. Terent. *Quid agam aut quid comminiscar*? Miserior, misertus sum, *to pity*. Fatiscor, fessus sum vix est in usu, idem valet quod compositum ejus defatiscor defessus sum, *to be tyred*. Metior mensus sum, id est pondero & considero, mensuro, æstimo, *to measure*, Labor, lapsus sum, i. cado, *to slide*. Nanciscor, nactus sum, id est acquiro, *to get*. Paciscor, pactus sum, id est facio pactum, vel in pactum peto, *to make band or Covenant*. morior, participium facit mortuus, quod nonnulli nomen esse volunt: Participium futuri temporis est moriturus tanquam supinum fuerit moritum, est autem morior, è vita discedo, & tertiæ conjugationis est, *to die*. Orior, ortus sum surgere incipio: *to begin to rise*. Orior habet participium futuri temporis oriturus, tanquam ab oritum oritu supinis; Item infinitivum oriri per quartam habet. Reliqua per tertiam sæpius, licet oriris non male dixeris.

DE VERBIS ANOMALIS, DEfectivis, & Abundantibus.

LIBER SEXTUS.

ANOMALA.

Quæ contra normam flectes, anormia sunto:
Ut *fero, sum, fio, volo, eo, queo, sultis, edo, sis,*
Ausim, quæso, forem, faxo, cedo: Pluraque multa
Defectiva etiam: sic *ambest, inquio* & *inquam.*
Infit, ave, salve, capsis, apage: quibus *euge,*
Des, & *ait, sodes, ovat,* omnia prosa recludet.

Verbum anomalum vel anorme est, quod contra aliorum regulam conjugatur: ut Fero, sum, fio, volo, nolo, eo & queo: quæ ex rudimentis nota sunt. Fero, id est porto vel patior, *to bring or suffer*, Terent. *Multa ex quo fuerint commoda, æquum est ejus incommoda ferre.* Sum, *I am*. Habet præteritum Fui, ab antiquo verbo Fuo, caret Gerundiis, nec participium Ens in usu est: Potens nomen est, *mighty*. Participia

vero

vero præsens, absens, nihil tale à reliquis compositis est, quia prodens obens, &c. non dicimus. Comicum est, Siem, sies, siet, &c. pro sim sis sit, &c. Fio, i. efficior, *to be made.* In imperatiuo, Fi non dicitur, & fite rarissime.

Volo, *I will.* Imperativo caret, quia voluntas est libera. Nolo, I *will not.* In Imperativo secundas habet utriusque numeri personas, Noli nolite: nolito nolitote. Eo & Queo: Ibam quibam; Ibo quibo, ut olim alia quartæ conjugationis omnia. Plaut. *Testudineum istum tibi grandibo gradum.* Sic *Virg.* etiam linebat, nutribat, dixit pro leniebat nutriebat.

Malo, *I rather.* Mavis, mavult, malumus, mavultis, malunt, malebam, malui, malueram, malam. males, malet. Imperativo caret. Optativo Mallem, maluissem, malim: Conjunctivo, Malim, mallem, maluerim, maluissem, maluero: Infinitivo Malle, maluisse, cæteris caret. Sic Mavelim mavellem, &c.

Sultis comicum est pro si vultis, & sis pro si vis, & capsis, pro cape si vis: Sodes, pro si audis. Indicat. modo tempore præsenti ad secundam personam singularem: Sodes, capsis, cæteris carent. Sic secunda persona præsentis Indicativi sis: Et pluraliter sultis, cæteris caret.

Edo es est, Et plural. Edimus editis edunt. Edebam, edi, ederam, edam: Imperativo, es vel ede edat. Et pluraliter Edamus edite vel este edant. Futuro, Esto, vel edito. Et pluraliter Edamus, estote vel editote, edunto. Optativo Edam essem, edissem. Conjunctivo Edam, essem, edirim, edissem, edero. Infinitivo esse, edisse esutum esse. Gerundia, edendi, edendo, edendum, Supina esum, esu, vel estum, estu, Passivum regulare est, nisi quod estur pro editur etiam dicitur. Composita eunt similiter: ut Comedo, comes, comest, *to eat.* Excedo exes exest, *to eat all.*

Indicativo vel optativo futuri temporis, Ausim, ausis, ausit. Et pluraliter Ausint, cæteris caret, id est audebo, vel utinam audeam, Livius lib. 1 *Nec si sciam dicere ausim.*

Indicativo modo, tempore præsenti, ad primam personam quæso. Et plural. per eandem personam quæsumus, irregulariter, *u* pro *i*, id est rogo & rogamus, cætera exoleverunt. Optativo modo, tempore presenti & præterito imperfecto

& conjunctivo modo tempore præsenti & præterito imperfecto, utinam vel cum Forem fores foret: & pluraliter forent, id est essem esses esset essent. Infinitivi futuro, fore, id est futurum esse: & ita differt ab esse, contra indoctos, ceteris caret. Terent. *Dixin' hoc fore*?

Faxo indicativi modi est futuri temporis pro faciam, *I shal do.* Conjugatur autem sic, Faxo, faxis, faxit. Et pluraliter faxunt. Dicimus enim in futuro Optativi & præsenti Conjunctivi, Faxim, faxis, faxit. Et plural. faximus, faxitis, faxint: pro faciam, facias, faciat, &c.

Imperativo modo, tempore præsenti ad secundam personam, Cedo, id est, dic vel da. Et plural. ad eandem personam, cedite, id est dicite vel date: cæteris caret. Terent. *Tu mihi argentum cedo.* Item. *Quid factum est, cedo*? Cedite apud Plautum reperies. Invenitur cædo cæcidi, cedo cessi: & cedo defectivum quod priorem corripit.

Ambest tertia persona præsentis Indicativi, pro circum est sola est. Inquio vel inquam dico, *I say.* Indicativo modo tempore præsenti, Inquio vel inquam, inquis, inquit. Et plural: inquiunt. Præterito perfecto inquisti, inquit: Futuro inquies, inquiet: & imperativo modo tempore præsenti, ad secundam & tertiam personam inque inquiat. Futuro Optativi inquiat. Hæc in usu sunt, reliqua pene exoleverunt.

Infit tertia persona præsentis & præteriti perfecti indicativi tantum est in usu. Virg: 12: Æneid.

----*Ita turbidus infit.*

Id est, dicere incipit, *he begins to speak.*

Ave imperativo modo, ad secundam undique personam ave, & plural. avete: Futuro aveto, & plural. avetote: Infinitivo modo tempore præsenti avere. Sic conjugatur Salvo. Utrumque est salutantis verbum: ut Ave Cæsar Imperator: Salve Regina, At Cicero ad Atticum dixit. *Salvebis a meo Cicerone.* Valeo, id est sanus sum, integrum est. *to be in good health.*

Apage, id est abduc, remove, *remove*; conjugatur sic, Imperativo modo tempore præsenti ad secundam in utroque numero personam, Apage, Apagete.

Imperativo modo tempore præsenti ad secundam personam. Euge, cæteris caret. Plerique dicunt esse Interjectionem

nem assentientis, & sponte sua congratulantis.

Indicativo modo tempore præsenti, Aio, ais ait. Et plural. Aiunt: præterito imperfecto Aiebam integrum est. Præterito perfecto aisti: & pluraliter aistis. Imperativo modo tempore præsenti ad secundam personam Ai. Futuro Optativi & presenti Conjunctivi Aias, aiat. Et plural. Aiamus. aiant. Participium est aiens: cætera non sunt in usu. Plaut. *vel tu mihi aias, vel neges*. Idem: *vel ai, vel nega*.

Phocas solum poni hanc tertiam personam, Ovat. Participium est ovans, *rejoycing*. Reliqua parum sunt in usu, licet quidam ponant ovo ovas ovat, & cætera sine Eclipsi.

Amabo, *I pray you*. Integrum est, quia conjugatur: ut Amo, amas, nec est proprie interjectio blandientis, licet interjectionis vel adverbij officio fungatur: regit enim post se accusativum, ut Amo: Si quis vellet omnem antiquitatem diligenter perscrutari, longe plura inveniret anomala & ecliptica, ut Excessis pro excedas: Irritassis pro irrites, Locassim pro locavero, aut locem: Prohibessis pro prohibeas: Taxis pro tangas: Duint prodent: Parduint pro perdant Levasso pro, levem aut levabo, *D*uis pro des, creduis pro credas, adassint pro adigant, &c.

Dor, furo, for, der, fer, vix unquam suscipit usus.

Personæ primæ Dor, furo, for, der, fer à fari non sunt in usu. Id de simplicibus intellige, quia pessundor, affor, bene dicimus. *Imperativus per Apocopen.*

Dic, duc, fac, fer, sed fice (non fic) dicitur apte.

Per Apocopen dicimus, Dic, duc, fac, fer, pro dice, duce, &c. Sic prædic, abduc, benefac, perfer. Composita autem à facio: ubi *a* in *i* vestitur, non patiuntur Apocopen, quia perfice, infice dicimus, non perfic. infic. Leges aliquando dice, duce, face. Terent. *Orandi jam finem face*. Idem *Me missum face*. Ain' pro aisne, viden' pro videsne, & similia patiuntur etiam Apocopen.

Syncopa in Præterito.

*S*yncopa diminuit de *vi* formata frequenter,
Ni dissyllaba sint: Tamen invenies bene *nosti*,
Et *scisti*, *flasti flesti*: sic plura notabis.

Syncopa præteritis in vi syllabam desinentibus, & inde formatis,

formatis, ſæpe contingit: ut Petij pro petivi, Formaſti pro formaviſti. redijt pro redivit, &c. Diſyllaba rarius ſyncopantur, quia moſti pro moviſti, iſti pro iviſti, triſti pro triviſti. vix unquam invenies, præſertim extrà compoſitionem: quia commoſti, rediſti, vel redijſti, intriſti, & plura aliquando leges, ut frequenter noſti, ſciſti, flaſti, fleſti, Horat. *Unde tam bene me noſti?* Terent. *Sciſti uti foro?* Idem: *Omnes congruunt, unum cum noris.* Fit etiam in alijs terminationibus præteritorum aliquando ſyncopa, ſed vix apud alios quam Poëtas. *Virg.* 1. Æneid.

Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonanteis Acceſtis ſcopulos.--

Pro acceſſiſtis. Sic comicè dixti, intellexti.

Præteritum ſignant & præſens præteritiva
Sub voce hæc, *odi, cœpi, novi, meminique,*
Et *pepigi, Memini, tote,* atque memento reponit.

Hæc quinque verba. Odi, cœpi, novi, memini, pepigi, ſub terminatione præterita ſignificant præſens & præteritum perfectum: ut Odi, i. odio habeo vel habui, *to hate or have hated.* Oderam, odio, habebam vel habueram. Sic cœpi, i. incipio vel incepi, *to begin or to have begun.* Sic dices de reliquis: ut pepigi, i. paciſcor, vel pactus ſum. Dicta verba ſolum habent tempora à præterito formata: ut Odi, oderam, oderim, odiſſem, odero, odiſſe. Horat.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Sic reliqua, Memini ultra alia habet in ſuturo Imperativi, Memento tu, mementote vos. Meminero, ut odero, &c. etiam habent ſenſum futuri indicativi. Memini, id eſt recordor, vel recordatus ſum, *I remember.*

Sunt neutra paſſiva, *ſolet, fit, fidet,* & *audet,*
Mæreo cum *gaudet:* paſſivum præteritum dant.
Aſt utrumque volunt *titubo, placeo, pateoque.*
Sueſco, caret, juro, prandet, nubit, miſeretque,
Cœno, piget; tædet, pudet, & *licet:* addito *poto,*
Et *libet,* & *mereor* pro quo *mereo* quoque legi.

Verbum neutro paſſivum eſt, quod deſinens in o facit præteritum ac ſi deſineret in or, ut Soleo, ſolitus ſum: Fio factus ſum. Fido fiſus ſum. Audeo auſus ſum, Mœreo mœſtus ſum.

Gaudio

Gaudeo gavisus sum. Quædam retinent utrumq; præteritum activæ & passivæ vocis: ut Titubo titubavi, vel titubatus sum: placeo placui & placitus sum: pateo patui & passus sum: suesco suevi suetus sum: careo carui, cassus sum: Juro juavi, & juratus sum: prandeo prandi, & pransus sum nubo nupsi, & nupta sum: miseret miseruit, & misertum est: cœno cœnavi, & cœnatus sum: piget piguit, & pigitum est: tædet teduit, & perta sum est: pudet puduit, & puditum est. liceo licuit, & licitum est: poto potavi, & potus sum: libet libuit, & libitum est: mereo merui, & meritus sum: sed merui videtur potius esse à mereo, quod pro mereor invenitur Plaut. *Tu meruisti, & adhuc meres.* Idem *Nunquam ego illi possum gratiam referre, ut mertiuus est de me.* Soleo & suesco, *to use.* Fido, *to trust.* Confido idem, diffido, *to mistrust.* Audeo *I dare.* Mœreo mœstus sum, per œ dipthongon. *to be sorrowful.* Gaudeo, *to rejoyce.* Titubo, *to stagger.* Horat.

Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.

Juro juramentum facio aut præsto, *to swear.*

Passive signant sub o, *Vapulo*, *væneo*, *fio*,
Exulo, cum *nubo* : *liceo* quibus addimus apte.

Verbum neutrum passivum est quod in *o* desinens passive significat: ut sex hic posita. Vapulo, *to be stricken.* Plaut. *Vide sis quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.* Fio, *to be made* Væneo, *to be sold*- Exulo, *to be banisht.* Liceo, *to be apprized.* Nubo, viro tradot, *to be married.*

Abundantia. & primo, verba Communia.

Hæc & plura leges communia, *largior*, *hortor*,
Osculor, *experior*, *stipulor*, *moror*, *hospitor*, atque
Criminor, *amplector*, *veneror*, cum *dignor*, *adulor*,
Oblivіscor, eis *interpretor*, addito *solor*.

Verbum abundans est, quod varie ab authoribus usurpatur Primo, quædam sub una voce active & passive significant: ut verbum commune, veluti largior, hortor, &c. 2 Quædam sunt diversarum conjugationem, ut lavo lavas, vel lavo lavit. 3 Quædam in præteritis. supinisve coincidunt: ut mulceo & mulgeo, mulsi, mulsum. 4. Quædam multiplex præteritum aut supinum habent: ut sapio sapui vel sapivi. 5. Quædam diversa

versas habent terminationes, ut reverto vel revertor. 6. Quædam unum habent præteritum, à diversis verbis ortum: ut Crevi à cerno & cresco: luxi à luceo & lugeo. Quæ cum conjugatione significationem mutant, inter abundantia non habebuntur: ut fundo fundas, *to ground*. Fundo fundis, *to yeat forth*. Dico dicas, *to dedicate*. Dico dicis, *to say*: Volo volas, *to flee*. Volo vis, *to will*. Lego legas, *to send messengers, or leave in testament*. Lego legis, *to read*. Sero seras, *to lock*. Sero seris, *to sow*. Educo educas penultima brevi, *to bring up*. Educo educis penultima longa; *to bring forth*. Verbum commune est, quod in or desinens active & passive significat: ut Largior largiris, *to give, or to be given*. Hortor, *to exhort: or to be exhorted*. Dehortor, *to disswade, or be disswaded*. Experior, *to essay, or to be essayed*. Terent. *Omnia prius experiri verbis quam armis, sapientem decet*: Osculor, *to kiss, or to be kissed*. Stipulor, *to require or to be required*. Moror, *I tarry, or am tarried for*. Hospitor, *to lodge or to be lodged*, Criminor, *to accuse or to be accused*: Crimen, accusatio vel peccatum. Amplector, *to embrace or accept or to be accepted*. Senec. *Mala pro bonis amplecti dementia est*. Veneror, *to worship, or to be worshipped*. Dignor, *to esteem worthy, or to be esteemed worthy, to vouchsafe*.

Virg. *Haud equidem tali me dignor honore*:
Idem. *Conjugio Anchisa Veneris dignare superbo*.

Adulor, *to flatter or to be flattered*. Et Obliviscor, *to forget*. Rarius passive leguntur: Interpretor, *to expone, or to be exponed*. Solor, vel consolor, *to comfort or to be comforted*. Hæc extra participia passive non capiuntur, nisi ab authoribus vetustissimis.

DE VERBORUM FORMIS.

LIBER SEPTIMUS.

PRæcipuas verbi formas cognosce quaternas.

In Rudimentis traditum est verborum species esse duas Primitivam: ut Lego, derivativam: ut Lectuiio derivativorum rursus genera sunt quatuor. 1. Vel à nominibus derivantur: ut lignor, aquor, frumentor, à ligno, aqua, frumento. 2. Vel ab adverbiis: ut perendinor, procrastinor, à perendie, cras. 3. Quædam à præpositionibus: ut supero à super. 4. Quædam

dam a verbis derivantur, ut lectito, dormito. Horum à verbis formatorum septem apud Grammaticos formæ observantur. Diminutiva, ut sorbillo, parum sorbeo. Imitativa, ut patrisso, græcisso. Desiderativa, viso, capesso, facesso, quibus omissis solum de frequentativis & inchoativis, meditativisque dicemus. De *Frequentativis, seu Iterativis.*

*S*ic *I*terativum formes : *ito* fiat ab *atu*,
V per *o* mutabunt bene cætera verba supini.
Si fuit *or*, manet *or*. Sunt cuncta frequentia primæ
Prætereunt legem *nato*, *quærito*, *fundito*, *scitor*,
Sciscitor atque *agito*, *sector*, *loquitor*, *pavitoque*.
Perscrutando libros doctorum plura notabis.

*V*erbum frequentativum vel iterativum est quod assiduam vel potius frequentem in agendo vim habet, & frequenter agendo iterat affectum, ut Salto, clamito, *F*ormatur autem dupliciter primo á verbis primæ conjugationis habentibus in supinis *atum atu*, penultima longa mutando à longum in i breve, & *u* in *o*, ut imperatu imperito, clamatu clamito, volatu volito. 2. Reliqua frequentativa formantur à supino mutando tantum *u* in *o*, ut increpitu, increpito, cursu curso, saltu salto, dormitu dormito dormitas, tueor, tutu tutor, quia ex verbis in *or*, sunt frequentativa in *or*. veluti Minor minatu minitor, Formantur contra regulam quædam. No natu, nato penultima brevi facit. Quæro quærito, *to seek busily*. Ter. *Lana ac tela victum quæritans*. Fundo fundis fundito, i. sæpe fundo, aut simpliciter fundo, nam frequentativa pro primitivis plerunque eleganter locantur. Scito scitu, non scito, sed scitor, *to search out secret things*. Pro eodem frequentius est sciscitor, à scisco. Plaut. *Secede huc, nam sunt quæ ex te solo sciscitari volo*: Ago agito facit, *to move or shake*. Compositum ejus cogo: Cogito, *to think*. Sequor sector, *to follow continually*. Loquor loquitor, *to be ay clattering*. Paveo pavito facit ac si supinum habeat pavitum, *to be very feared*. Si quis probatorum virorum scripta perquirat, plura deprehendet adhuc irregulariter formata. Omnia frequentativa sunt primæ conjugationis.

De *incœptivis, seu Inchoativis*

Præsentis primique modi, *co* junge secundæ

Personæ, si vis verba incœptiva creare,
Sic *ferves fervesco* facit. Sed tollitur *hisco*,

Verbum inchoativæ vel inceptivæ formæ est quod continuum incrementum passionis innatæ significat, & à *Valla* augmentativum apellatur. Et proprie tantum fit à neutris secundæ conjugationis, addendo secundæ personæ indicativi singularis numeri syllabam *co*: ut Tepeo tepes, tepesco, *to grow warm*. Calesco, fio calidus. Quorundam primitiva in usu non sunt: ut ignesco, sanesco, herbesco, liquesco, juvenesco, senesco. Quædam verba similiter in *sco* desinentia hanc significationem non sequuntur, ut præsentisco, *i.* præsentio, *to feel or perceive*. Concupisco, i. cupio, *to desire*. Vivisco i. vivo, *to live*. Edormisco, i. dormiendo concoquo, *to sleep out*. Plaut. *Edormiscam hanc crapulam, quam potavi præter animi sententiam*, Repuerasco, *to grow childish again*. Ipsa etiam significatione videtur inchoativum. Plaut. *Aiunt solere senes repuerascere*, Unum formatur irregulariter. Hisco ab hio hias quia regula poscit hiasco, *to gaunt or whisper*. Plaut. *Nec hiscere quidem audet*.

De Meditativis, *quæ & Desiderativa*.

In meditavis, quod in *u* fit, junge supino.
U semper brevians, *rio*: sic dabit, *esurit*, *esu*.

Meditativum verbum seu desiderativum est, quod cum primitivo significat cupio, ut esurio, id est esse cupio, *to be hungry*. Formatur meditativum à posteriore supino, correpta *u*: & adjecto *rio*, ut a partu parturio, id est cupio, aut conor parere, *to travel with child*. virg. *Parturit almus ager*.---
Rectissimè hæc appellari desiderativa sentio, *V*allæ subscribens atque ut usui aliquid concedatur, non inepte meditativa quoque vocantur, quia diligentissime meditamur; ut eorum fiamus compotes, quæ vehementer desideramus.

FINIS

Editio Novissima.

JOAN: DESPAUTERII SYNTAXI

A

SEBASTIANO NOVIMOLA
Duisburgensi in absolutissimam Methodum redacta,

Ad prototypum collata & aucta, in usum studiosæ Juventutis.

Item Libellus de Reciprocis, ac ordine in declaratione Grammatica servando.

Accessit & ERASMI ROTERODAMI *de ratione studij parænesis.*

Editio Novissima,

EDINBURGI,
Excudebat *Joannes Reid*, Anno *DOM.* 1686

SEBASTIANUS NOVIMOLA Duisburgensis, Henrico Riswichio praeclarae indolis adolescenti.

S. P. D.

QUANTA, *optimae spei adolescens, Joannis Despauterij, hac causa quod summam Grammatices carmine complexus est, sit praestantia, ac utilitas: omnium recte instruendae pubis artificum suffragia comprobant. At neminem, qui ejus opera vel unquam vidit, ignorare arbitror. quam in oratione soluta observaverit Horatianum illud:* Quicquid praecipies, esto brevis. *Quum autem tot Scholis sit receptus, & vix ullus tum discipulus, tum etiam praeceptor reperiatur, quin ex immodica commentariorum diffusione nauseam contrahat: diu summis desiderijs aliquem expectavi, qui Syntaxin diligenter accisam in communem utilitatem exhiberet. Quod cum diu multumque expectarem, nec ullius industria aut labore voti rederer compos, existimavi, quod ab alio expectabam, me posse. Aesopici segetum domini exemplo arrepta falce, tandem proprias manus operi admovi, ut ex horrida, in qua non sine taedio quotidie versarer sylva; spinas resecarem: expeditioremque studiosis ad metam properantibus pararem viam Hunc nostrum, mi Henrice, pro tua singulari modestia, boni consule conatum, ac perge, quaeso, divina ingenij tui maturitate eniti, ut tuorum omnium de te expectationem respondeas. Vale Colonia ex Gymnasio Montano. Anno 1533. decimo quarto Calendas Aprilis.*

GRAMMATICÆ Latinæ SYNTAXIS.

Quid sit Grammatica, & quæ ejus partes.

GRAMMATICA est Ars recte loquendi, scribendique rationem tradens: quæ, quia à literis incipit, quas Grammata vocant *Græci*, ideo ab ijs nomen habet.

Grammaticæ partes vulgo quatuor sunt. Orthographia, qua recte scribere docemur: Prosodia, quæ syllabarum quantitates, carminum & accentuum notitiam tractat; Etymologia, quæ accidentia vocum explicat, potissimum ea quæ originem & flexionem notant: Syntaxis est congrua dictionum in oratione compositio, ad probatissimorum auctorum usum & imitationem conformata.

Syntaxis est duplex: Perfecta vel justa, quæ sequitur communes regulas, & præcepta. Figurata, quæ à regulis communibus recedit: & anomala dicitur.

Perfecta Syntaxis duplex est: Intransitiva, & Transitiva. Intransitiva syntaxis est, quando una dictio concordat cum altera in accidentibus quibusdam; cujusmodi sunt, Genus Numerus, Casus, Persona; & a Grammaticis concordantia vel convenentia appellatur.

Transitiva est, quando dictio regit certum casum: Et dicitur exigentia, vel regimen, ut amo literas. Verbum activum vel transitivum hic regit accusativum literas.

Omnes partes orationis regunt præter Conjunctionem: ut Oculi Domini super Justos. Hæc volucrum. Ama Deum. Satis vini. Amans Deum. Apud patrem. Heu me. Tres solum partes regunt & reguntur, Nomen, Pronomen, & Participium, quia casus tantum regitur, Verbum solum habet ante se casum. Sola conjunctio nec regit, nec regitur, suam naturam servans.

A fronte adsciscit casum pars unica, verbum
At tergo pars quæque regit: conjunctio. *nusquam*.

Sed de regimine plura, post concordantiam.

Concordantia est triplex, Adjectivi & substantivi, Relativi & Antecedentis; verbi cum nominativo à fronte recto. In hac ultima concordantia, quia etiam est regimen, de ea tractabimus in regimine nominativi,

GRAM-

GRAMMATICES DESPAUTERIANÆ

Liber Octavus in Methodum redactus, de Concordantia & Regimine.

Adjectivi & Substantivi Concordantia.

MObile cum fixo, genere & casu, numeroq;
Conveniat: nomen sic vult cognomini, adesse.

Adjectivum & substantivum esse debent ejusdem generis, casus & numeri: *Amicus certus in re incerta cernitur. Mali corvi, malum ovum.* Adjectivum est quod substantivo indiget ad sensum perfectum. Triplex est adjectivum: Nomen, ut bonus, Pronomen: ut meus, Participium, ut factus. Adjectivum vocavi mobile, quia de genere in genus movetur. Substantivum est, quod adjectivo substat, Id fixum vocatur, quia firmum est, nec movetur de genere in genus.

Annotatiuncula.

Pro fixo neutrum capitur cum mobile sæpe,
Abstractum Nomen, *per Res, Pars atque resolve.*

Quod dicit Cicero: *Omnium rerum mors est extremum,* id datam regulam non impugnat, quia adjectivum in neutro genere sæpe fit substantivum, & plerunque declaratur, vel per nomen Res. *Virg.--Varium & mutabile semper Fœmina.--* idest, res varia & mutabilis. vel per nomen Pars, ut frigidissimum hominis est cerebrum: id est, pars frigidissima, vel per nomen quod dialectici abstractum vocant.--*Servantissimus æqui,* id est æquitatis. Huc pertinet illud.

Virg. Fama malum, quo non aliud velocius ullum. i. Res mala
Et Ovid. *Turpe senex miles, turpe senilis amor.* i. Res turpis.

Plura dabis fixo adjectiva que non sine nexu;
Pronomen numerum, gentilia signaque deme:

Plura adjectiva non rectè uni substantivo tribuuntur, nisi interposita conjunctione. *Vir* bonus & sapiens. Nisi vel gentilia sunt: ut Cretenses omnes sunt mendaces, aut numeralia. virg. 3. Ecl. *Aurea mala decem misi, cras altera mittam.* Sic pronomina, Rusticus ille tuus, & signa, cujusmodi sunt universalia, particularia, interrogativa, partitiva. Omnis avarus egit. solus sapiens est dives.

Tu debes fixo præponere mobile ferme,
Excipe gentile & cum transit, participiumve.

Adjectivum substantivo fere præponitur: ut dulce pomum Excipe, si adjectivum sit gentile: ut *Buchananus Scotus*, 2. Cum transitionem habet annexam; *vir imperitus rerum*. 3. Cum adjectivum est participium: *Præceptor ambulans docet.*

Nomen sic vult cognomini adesse.) Nomen & cognomen concordant in genere, casu & numero, sicut adjectivum & substantivum: ut Pontius Pilatus, Simon Petrus.

Item de prænomine, & Agnomine dicendum est; ut Marcus Tullius Cicero, Publius Virgilius Maro, Scipio Africanus. Quatuor sunt igitur propriorum nominum species, Nomen, Prænomen, Cognomen, Agnomen. Nomen est proprium singulorum vocabulum, ut Pontius, Tullius, Virgilius, Simon, Prænomen est, quod honoris vel discriminis causa præponitur: ut Publius, Titus, Cognomen est familiæ & cognationis nomen: ut Cicero, Maro, Naso. Scipio, Nero, Pilatus, Cornelius. Agnomen est, quod ab eventu quodam acquiritur: ut Naso à nasi magnitudine. Cæsar à cæso matris ventre. Africanus, à devicta Africa: Agnomina sæpe abeunt in cognomina, cognomina vero deinde in nomina. Præterea cognomen & cognomentum pro agnomine aliquando capimus. Cic. *Scipio ille cui Africano fuit cognomen.*

De cognominibus attribuendis, præceptum. 1.

Cognomina sumpturus à locis, aut etiam aliunde dices. Terentius Afer, non de Africa. Neque præpositio de, additur cognomentis à loco originis vel dominii sumptis. Sed si fieri possit, locum adjective efferimus. Baptista Mantuanus, vel à Mantua. Comes Fermilodunensis vel a Fermiloduno. Siquidem Doctorum usus præpositiones a, ab, è, ex, ad natale solum exprimendum recipit. Plaut. *Philocrates ex Aulide.* Terent. *Anus è Corintho*: *Theophrastus e Lesbo*, vel *Lesbius.*

P*ræceptum secundum ex* Erasmo.

Barbara & sono absurda vocabula, vel hominum vel locorum vel familiarum, aut Latinis, Græcisve vocibus reddenda sunt, aut in Latinam faciem commodè deflectenda, ut ab Idiotis etiam vulgatum nomen agnoscatur: ut cum pro Barbir, quod vulgo tonsorem sonat, Barbirium dicimus: pro Busseid Bussidium, pro Lang Langium, pro *Despauter* Despauterium.

Concordantia relativi & antecedentis.

Pone relativum cum præcedente, in eodem
Et genere: & numero: nec non persona in eadem

Relativum & antecedens concordant in genere, numero, & persona: jucundissima voluptas est, quam rarior usus commendat. Horat. *Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora*, Posui particulam in persona; quia licet relativum per se nullius sit personæ; tamen statim ut cum antecedente ponitur, capit antecedentis personam. Et ita semper conveniet in persona, ideo dices. Tu laudandus es qui studes: non qui studet: qui sic vel Relativum ab antecedente, vel verbum à nominativo a fronte recto in persona discordaret.

Annotatiuncula.

Tu bene præcedens tacitum quandoque videbis.

Eleganter interdum antecedens intelligitur. Hor. l. 2. epist. 1.

Argentum & vestes Getulo murice tinctas.
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere,

Juven. *Sunt quibus est sola vivendi causa voluptas.*

Relativum quid sit, & quotuplex.

Relativum est quod rem antedictam refert, id est repetit, ut qui, quæ, quod: duplex est Relativum, Substantiæ & Accidentis. *Relativum substantiæ quid, & quotuplex.*

Relativum substantiæ est quod refert antecedens substantivum. Publ. *Homo qui in homine calamitoso, est misericors meminit sui.* *Duplex est Relativum substantiæ, similitudinis & diversitatis.*

Similitudinis est, quod idem cum suo refert antecedente, & sunt hæc, qui, quæ, quod, is, hic, iste, ipse, sui, ille, idem: ac de his solis intelligenda est hæc regula. Diversitatis est, quod refert antecedens diversum quidem a consequente, cum quo concordat in genere, numero & casu: sed tamen sub eodem genere, vel specie naturæ comprehensum: ut *Amo laurum & cæteras arbores:* hinc infertur laurum esse arborem, verum a cæteris arboribus diversam. Ralativa diversitatis sunt, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum, cæter aut cæterus non Dicitur, His relativis nunquam utimur, nisi ostendere velimus, antecedens ejusdem esse generis, vel speciei cum eo quod consequitur.

Cic. *Expertes rationis sunt equi, boves, & reliquæ pecudes.*

Relativum accidentis quid.

Relativum accidentis est, quod refert antecedens adjectivum: ut sum albus, qualis est pater. Hujusmodi sunt qualis, quantus, quotus, quotennis, quotuplus, quotuplex, cujus, cujas. Ponit hæc Priscianus, quorum tamen quædam nisi apud Grammaticos nusquam legi. Hic rursum sciendum est, relativa accidentis ad datam regulam non pertinere: quia semper cum Consequente concordant in genere, numero & casu: ut Catharina est pulchra qualis est ejus filius, vel quale est ejus mancipium. Idem faciunt relativa substantiæ diversitatis, ut eorum definitio indicat, & unum similitudinis suus: ut virg. *Trahit sua quemque voluptas.* Publius Mimographus *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.* Relativum & antecedens in casu non conveniunt, nisi ab eodem verbo regantur, ut sequitur.

De relativo regula oratoria prima.

Quando relativo præcedens subdis, eodem
Ponatur casu; quia verbo dantur eidem.
Quem scribo librum, bonus est: ornatius aio,
Quam *librum quem:* nam raro reperimus in usu.

Quando Relativum qui, quæ, quod, præponitur antecedenti, sic ut antecedens cum eodem verbo construatur, Latinè & eleganter in eodem ponuntur casu: ut quas ad me dedisti literas, fuerunt elegantes & jucundæ. Quam legis historiam, est lepida: Terent. *Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.* Idem. *Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.* Quint *Non sustineo eosdem expetere, nec quos porrexerim cibos; venena fiant.* Si autem antecedens in eodem casu præcedat, erit quidem oratio figurata, minus tamen elegans, & rarior apud probatos. Virg. Æn. i. *Urbem quam statuo vestra est.* Orator dixisset, teste Valla, Quam urbem statuo vestra est. Plaut. *Naucratem, quem convenere volui, in navi non erat.* Hanc orationem, & omnes huc pertinentes sic expone, per expressionem alicujus subauditæ particulæ. Quem Naucratem convenire volui, is in navi non erat. Idem P*atronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.* Ordinato qui patronus vobis fuit futurus, eum perdidistis. Istam ordinationem tradit Donatus.

De Relativo regula Oratoria secunda.

Si referens ponas inter generum variorum

Casu

Casus, haudq; sequens fuerit proprium, dabis ut vis
Sin proprium fuerit, referens conforme sit illi.

Quotiescunque Relativum qui, quæ, quod, ponitur inter casus diversorum generum, & sequens fuerit nomen appellativum, poterit concordare cum utrolibet, si vero sequens sit nomen proprium, cum eo concordabit. Prioris partis exempla. Cic. primo de legibus. *Animal plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem.* Idem. *Quibus tandem gradibus Romulus in cælum ascendit?* Hisne quæ isti appellant bona; Ovid. 1. Met. v. 7. *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum; Unus erat toto naturæ vultus in orbe. Quem dixere chaos,* &c. Posterioris partis testimonia. Salust, *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur.* Cic. *Carcer, quæ Latumia vocantur.* Invenitur interdum relativum convenire cum præcedente, licet sequens casus sit nomen proprium. Cic. *Propius à terra Jovis stella fertur, quæ Phaethon dicitur.* Notandum relativum in neutro genere totam orationem referre. Ter, *Quod beatum isti ducunt, uxorem nunquam habui.*

De *Conjunctionibus & de Interrogativis.*

Consimiles optant casus conjunctio, quærens,
Consimilesq; modos, si non regimen varietur.

Conjunctiones copulativæ & disjunctivæ, cum his etiam quatuor. Quam, nisi, præterquam, an, similes casus & modos copulant: Interrogativum etiam & responsivum in eodem casu conveniunt. Vir bonus & sapiens. Perfer & obdura. Nulli placet præterquam sibi. Aliæ quædam voces eandem copulandi vim habent, tanquam, licet, sicut, quasi, velut, &c. Amandus pater, licet difficilis.

De Interrogativis.

Cui præceptori operam dedisti? *Erasmo.* *Quo morbo* fuisti impeditus; Febriculâ. Signanter dictum, Si *non regimen varietur.* Quando enim dictio diversos exigit casus tunc regula locum non habet. quanti emisti librum? Asse & minoris. Cuja interest? Præceptoris. *Verum ubi nullus est casus, in casu non conveniant.* quando vel per idem verbum respondemus, quo interrogamur, Ter. *An non dixi hoc futurum?* Dixti. Vel per adverbia. Etiam, ita est, Sic est, sane quidem. Aliquando per verbum faciam vel factum. Terent.

Chærea

Cherea tuam vestem detraxit tibi? Factum, Et ea est indutus? Factum.

Quid interrogativum.

Interrogativum est rei dubiæ vel tanquam dubiæ postulativum. Responsivum per quod ad interrogativum respondemus.

Regula apte respondendi.

Interrogativis danda sunt debita responsiva: ut quis es? Petrus. quid es? Homo. qualis es? Albus, niger, doctus & similia qualitatem dicentia, quantus es? Bipedalis, & cætera quantitatem continuam significantia. quotus es? Primus, secundus, &c. quot ludimus? Tres, quatuor, &c. qualem equum emisti (Valle dicit recte responderi) oblongum, lato pectore, brevi alvo quia qualitas, magis quam certa quantitas significatur. Interrogatus qualis es, si reddis homo, inepte loqueris.

De Regimine.

POst concordantiam de casuum Regimine agendum est, & quidem hoc ordine, ut, si qua dictio diversos regat casus, tota declaretur in priore casu, nec alibi reperitur, quo brevitati simul consulamus, & levemus ediscendi laborem. Aspiret cœptis mitissimus DEUS noster JESUS CHRISTUS.

Sex sunt casus, Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus, & Ablativus. De Vocativi Regimine quia a paucis regitur particulis, in constructione Nominativi obiter pauca dicemus, ubi de adverbiis, & interjectionibus agetur, sunt qui ponunt septimum casum, is in ablativo comprehenditur: & octavum, is sub dativo continetur.

Regimen Nominativi.

Nominativus in oratione, vel regitur vel ponitur absolute ut Dominus noster Jesus Christus, is est veritas. Regitur autem Nominativus duobus modis. Figurate, & sine figura: ut tu & Petrus luditis, tu ludis. Sine figura a fronte, & a tergo ut Deus regnat, vocor Joannes. Figurate vero octo regitur modis, per Appositionem, per Evocationem, per Conceptionem, per Prolepsin, per Zeugma, per Antiptosin, per Eclipsin, per Synthesin raro utendam. Exempla videbuntur suo loco. hæc præmittere placuit, quia præter alia commoda, rationem aperiunt ob quam hæ figuræ, a quibusdam ad finem Syntaxeos rejectæ in constructione Nominativi tractentur.

Reg

Regula Nominativi prima.

ANte capit rectum persona convenientem
Et numero, verbum quod personale vocatur
Nec non finitum. *R*ectum persæpe tacemus.
*S*æpe loco illius quid pono. Ne puer uni
Pluralem dones sermonem, non honor est hic.
At de me solo numerus dicetur utervis.

Omne verbum personale finiti modi, regit ante se expresse vel subaudite, ejusdem numeri & personæ, nominativum, vel aliquid pro nominativo, ut Ego scribo, tu legis. Virg. *Fama volat.* Nos canimus. Ovid. *Tempora labuntur.* Pluit, tonitruat. Publius. *Deliberare utilia mora tutissima est.*

Utiles annotatiunculæ in datam regulam.

Dixi personale verbum, quia impersonale ante se nominativum non recipit: ut statur, curritur, pœnitet me peccati. Dixi finiti modi, quia infinitivus ante se non nominativum sed accusativum recipit, nisi poëtice vel historice pro præterito imperfecto indicativi modi ponatur. Ter. *Omnes mihi invidere, & mordere clanculum, ego autem floccipendere*: id est omnes mihi invidebant & mordebant clanculum, ego autem floccipendebam. Cicer. *Hic judices ridere, stomachari, atque acerbe ferre patronus causam sibi eripi.* Dixi subaudite, quia tribus modis nominativus ante verbum intelligitur. Primo, in omni verbo primæ vel secundæ personæ potest nominativus intelligi.

Ovid. *Et si quid faciam nunc quoque quæris amo.*
Idem. *Venturæ memores jam nunc estote senectæ.*
Sic nullum vobis tempus abibit in ers.

Raro exprimitur prima persona vel secunda, nisi fuerit emphasis aut discretio: Nos hominem accusativimus, vos damnâstis: Emphasis est figura altiorem præbens intellectum quam quem verba per seipsa declarant, ut Æolus ad Junonem. *V*irg. 1. Æneid.

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere divum.

Secundo, in verbis tertiæ personæ pluralis numeri intelligitur homines: veluti Lolium, ut aiunt, facilè crescit, difficulter perit. Sic ferunt, perhibent. Ovid. *Teque ferunt iræ pœni*

 tuiss

tuiße tuæ. Tertio, in verbis exceptæ actionis intelligitur nominativus Deus vel natura : ut pluit.

Quid verbum exceptæ vel exemptæ actionis.

Verbum exceptæ actionis est, cujus actus Deo vel naturæ tribuitur : ut pluit, fulminat, quia solus Deus vere dicit. Ego pluo, fulmino, tono, hyberno, pro hyemem facio. Apud Poëtas nominativus aliquando exprimitur. Theocritus apud Philelphum.

Fidere Batte decet, melius cras forsan habebit.
Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.
Nunc pluit, & clarus nunc Jupiter æthere surgit.

Hæc exempti actus impersonalia dantur.

Fulminat atque *tonat, ningit, pluit,* atque *coruscat.*
Vernat & *æstivat, gelat, autumatque, hyematque,*
Hybernat quandoque *tonitruat* atque *pruinat,*
Grandinat & *rorat, noctescit,* sive *diescit,*
Lucescit, simul *aurorat* conformia junges.

Postremo adjeci regulæ, vel aliquid pro Nominativo: Quinque enim modis ponitur aliquid loco Nominativi. Primo, infinitivus sine casu, Cato, *Legere & non intellegere negligere est.* Quicquid ponitur loco nominativi, est generis neutri. Persius. *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Secundo, infinitivus cum accusativo ante se : ut Tyrannos vivere non expedit Reip: id dialectici vocant dictum. Tertio, infinitivus cum aliquo casu post se. Pers. *At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.* Terent. *Seni verba dare est difficile. Est pii patris pio succurrere gnato.* Quarto, appellatum ut quod studes est tibi conducibile, Appellatum est tota oratio nominativi & verbi, præcedente tali particula, quod, ve, ne, aut simili. Multo ornatius per dictum, quam per appellatum loquimur: Diligenter igitur discant pueri hoc in illud mutare hæc via. Gaudeo quod tu bene vales. Gaudeo te bene valere, Quinto, quædem adverbia funguntur nominativi officio : ut partim virorum sunt occisi. Mart. *Cras te venturum, cras dicis, Posthume, semper. Dic mihi, cras istud, Posthume, quando venit?* Sunt qui dicunt dictionem technice, seu materialiter sumptam, pro nominativo poni : ut Amo est verbum, sed talis dictio est verum nomen indeclinabile neutri generis.

Unum pluraliter non esse compellandum.

No

Ne puer uni pluralem, &c. *Uni* honoris causa non est pluraliter loquendum: ut Rogo te amice, venias ad prandium meum, non autem rogo vos amice ut veniatis. Sed de seipso potest quis tam pluraliter quem singulariter loqui. Quint. *Utinam hoc mihi fata præstarent, ut residuum laborantis animæ in tuo poneremus amplexu.* De his Erasmus sic ait, si probatos Grammaticos audimus. in primâ personâ, mutatur numerus persæpe, aut modestiæ aut festivitatis, aut Euphoniæ gratiæ. In secundâ personâ nunquam, nisi cum genus significamus, non personam. In tertia invidiæ causa raro. Exempla primæ personæ. Cic. ad Brutum. *Populo imposuimus, & oratores visi sumus.* Virg. *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.*

Ovid. Ep. 1. *Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus, Tam longæ causas suspicor esse moræ: Hæc ego dum stulte meditor, quæ vestra libido est. Esse peregrino captus amore potes.* Ad solum Ulyssem scribens Penelope, taxat hic totum virorum genus. Exemplum tertiæ personæ. Ter. *Cum ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* Nausistrata unum Chremetem per invidiam senes appellat.

Appendix.

Imperat ille modus præponit qui sibi quintum.

Vocativi (qui semper sunt secundæ personæ) imperativis præponuntur. *Virg. Eripe nate fugam, finemque impone labori.* Aliquando subauditur, *Ferte citi flammas*, sub: vos. Præterea quando uni loquentes, ad plures sermonem dirigimus potest locutio esse pluralis. Virg. *Vos O Calliope precor adspirare canenti.* Compellat Calliopen ad omnes musas sermonem dirigens, teste Landino.

REGULA ELEGANTIÆ.

Rectos si binos numerum verbo variorum
Præponas, verbum quadrabit proximiori.
Omnia pontus erat, dic &c., *domus antra fuerunt.*
At *vestes sunt lana*, feras: *est lana* caveto.

Verbum substantivum positum post duos nominativos diversorum numerorum, eleganter consentit cum posteriore nominativo.

Ovid. *Omnia pontus erat.* Idem. *Domus antra fuerunt.* Singularis numeri est Domus. Terent. *Amantium iræ amoris redin-*

dintegratio est. Ovid. De *arte aman.* lib 3. v. 111 *Vestes quæ peritis sordida lana fuit.* Hæc tamen elegantia sæpè non observatur. Livius. *Captivi militum præda fuerunt.* (At vestes sunt lana, &c.) Si verbum substantivum ponatur inter duos nominativos diversorum numerorum concordabit cum præcedente: ut vestes fuerunt lana, non vestes fuit lana. Sermones summi Patris, sunt meditatio justi. Aliquando fit contra. Lucan, *Sanguis erant lacrymæ.*

Secunda regula principalis.

Cum substante, vocans, & vim quod servat eorum
Si sit res eadem, post se rectum retinebunt.

Verbum substantivum, verbumque vocativum, & eorum vim habentia, regunt post se nominativum, qui significatur accipi pro eodem, cum nominativo præcedente explicite vel implicite, ut Deus est omnipotens. Vocor Joannes. Cognominor Despauterius. Plaut. *Hic vigilans somniat.* Posterior casus non significatur accipi pro eodem: ut in his. Gladius est Petri. Pater est Joannis.

Annotatiuncula.

Ut verbum habet ante se aliquid vice nominativi, ita etiam post se: et Furari est peccare, Cicer. *Magis isti serviunt, si observare est servire,* id est si observatio est servitus.

Quid verbum substantivum & quot.

Verbum substantivum est, quod aliis verbis substat in conjugando vel resolvendo; ut Lego, id est sum legens. Legor lectus sum in præterito. Sum unicum est verbum substantivum. Flo, substantivum non est, ut nec exto, nec existo de quibus lege Laurentium Vallam.

Vim substantivi verbi habentia.

Triplicia verba habent vim verbi substantivi: primo, passiva. quorum àctiva regunt duos accusativos pro eadem re acceptos: ut Crederis dives quia dicimus, credo te divitem. sic habeor, judicor, æstimor, fio doctus. Salust. *Virtus clara æternaque habetur.* Ovid. *Quæritur Ægistus quare sit factus adulter. In promptu causa est desidiosus erat.* Secundo. multa verba neutra, veluti eundi, manendi, vivendi: ut concedo domum potus. i. eo. Ovid. *Victa jacet pietas.* Virg. *Ast ego quæ divum incedo Regina. Jovesque & Soror & Conjunx.* Incedere est cum fastu & magno apparatu ire. Seneca. *Tenero ac molli passu gradum,*

dum suspendimus, nec ambulamus sed incedimus. Sedes tristis, curvus, & erectus. *Vivo* inops. Evado doctus. Dic etiam Evado in doctum virum. Tertio, plurima alia verba activa & deponentia, quorum non constat certa regula: ut Audivi hoc puer. Feci invitus, melius quam invite. Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar. Hujusmodi nominativi eleganter ponuntur, pene pro adverbiis, Virg. 8. Æn. *Nec minus Æneas se matutinus agebat.*

Appendix.

Factus, habitus, creditus, & similia ab hujus farinæ verbis participia, post se capiunt casum quem ante se habent, adeo etiam ut, si *Vocativi* casus fuerint, vocativos casus post se copulent.

Lectule divitiis facte beate meis.
Rufe mihi frustra nequicquam credite amice.

Appendix altera.

Quotiescunque participium verbi substantivi, vocativi, vel vim eorum habentis, ponitur inter duo substantiva concordabit cum præcedente: ut Petrus est factus mancipium. Si vero utrique postponitur conforme erit utrilibet. Livius 6. decad. 4. *Ludos Megalesia appellatos.* Idem lib. 9. decad. 3. *Ludi fuerunt Megalesia appellata,* Cicero. *Video amicitiam nostram inimicitias modo factas.*

Quid verbum vocativum, & quot.

Verbum vocativum est quiddam generale, quod per rei nomen præsertim proprium, aliquando etiam commune determinatur, ut vocor Joannes. Quinque sunt verba vocativa Nuncupor, appellor, vocor, dicor, nominor, Eorum activa regunt duos accusativos, qui significantur ad eandem rem pertinere, Publ. *Timidus vocat se cautum, parcum sordi[dum]*s. Vocativorum verborum vim habent, cognominor, agnominor inscribor, salutor, baptizor, arguor, &c. Ut Cognominor, Scipio, Agnominor Africanus, Horat, in arte poet.

Descriptas servare vices operumque colores.
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor.

APPENDIX.

Septem modis poteris exprimere quis vel qui vocaris, vocor, dicor, nominor, appellor, nuncupor Petrus, est mihi nomen Petrus, est mihi nomen Petri. Plaut. *Nomen Mercurii*

est mihi. Est mihi nomen Perto, hic est elegantissimus. Habeo nomen Petri. Author Servius. Habeo nomen Petrum Idem author est. Sic dicimus, facio, impono, indo tibi nomen Joannes, Joannis, Joanni, Joannem.

Appendix de infinitivo esse & similibus.

Esse pares optat casus. Sed non male dices,
Huic licet esse probum: loquitur sic Quintilianus

Esse, & alia à verbis utrinque Nominativum habentibus infinita, copulant similes casus explicite vel implicite, qui significantur accip pro eodem, De nominativo, ut *Petrus* cupit esse doctus. De dativo, *Nobis non licet esse tam disertis*. De accusativo, *Apparet hunc esse servum Domini pauperis*. Cato *Sperne repugnando tibi tu contrarius esse*. Claud.---*Natura beatis omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti*: Apud poëtas Nominativus pro accusativo positus invenitur, Luc. *Tutumque putavit, Jam bonus esse socer*. Ovid.---*Sed enim quia rettulit Ajax Esse Jovis pronepos*--

ANNOTATIUNCULA

In dictis copulantur similes casus explicite, in sequentibus nominativi & accusativi implicite. Ter. *Hei mihi! disce esse Pater ab his qui vere sciunt. Tibi placet evasisse divitem*, subauditur *te*: At si dicas, tibi placet evasisse diviti, nihil subaudies. Præstat vivere pauperem, quam injuste divitem: venuste subauditur generalis accusativus aliquem.

De Nominativo & obiter de aliis casibus, figurate constructis.

Figura est ratio loquendi à vulgari sermone & trito differens: quæ ratione aliqua aut authoritate nititur. Virg. Æn. 1. *Miratur molem Æneas magalia quondam*. Figurate dixit. Virg. Dic *molem, quæ fuit magalia quondam*. Figura non erit, quia nihil arte novatum, nihil à communi ratione remotum.

Figura est triplex Dictionis, Locutionis, Constructionis.

Dictionis figura est, quæ fit in Dictione. Quatuordecim figurarum dictionis (ut summatim dicam) hæc natura est, ut dictionem vel augeant: veluti Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, Ectasis, Diæresis: vel minuant ut Aphæresis, Syncopa, Apocope, Systole, Synæresis, Eclipsis, Synalœpha: vel invertant ejus elementa: ut Antithesis, Metaphesis. Unde Græco nomine metaplasmi, hoc est, transformationes vocantur. Ectasis vero non auget dictionem syllaba sed tempore

re. Ita Systole non minuit dictionem syllabam auferens sed tempus. virg. *Obstupui steterunt que comæ, & vox faucibus hæsit.* In steterunt artificiosissimè penultimam corripuit, ut subitum terrorem magis exprimeret. Figura locutionis est, quæ circa loquendi aliquem modum, non circa congruitatis regulam versatur: ut *sine Cerere & Baccho friget venus*; est Metonymia, quia inventor pro invento capitur. Figura constructionis est quæ circa Grammaticas constructiones versatur: Et sunt novem: Appositio, Evocatio, Syllepsis vel Conceptio, Prolepsis, Zeugma, Antiptosis, Synthesis; Eclipsis, Synecdoche. De hac ultima in constructione genitivi, commodior erit dicendi locus.

APPOSITIO.

Apponens conjunge pari casu duo fixa,
Esto res eadem; declaratumque præito.

Si duo vel plura nomina substantiva ad eandem rem pertinentia conjungantur sine conjunctione, erunt ejusdem casus per appositionem: ut Fratres gemini, fluvius Rhenus, urbs Roma, arbor Morus, mensis Augustus, Marcus Tullius Cicero, Orator suavissimus. *Quid appositio.*

Appositio est sine conjunctionis medio substantivorum ad eandem rem pertinentium, in eodem casu positio: ut Urbs Roma. Horat. *Et genus & formam regina pecunia donat.*

Verum cum dico, fluvius & Rhenus, urbs & Roma, non est appositio. Notandum appositionẽ per omnes casus fieri, quia semper in casu conveniunt, licet genere & numero dissideant Ovid. 15. Met. v. 116. *Quid meruistis oves, placidum pecus?* virg. *Ite meæ quondam fœlix pecus, ite capellæ.*

Substantiva in appositione duobus modis possunt esse diversorum numerorum: Priore, ubi alterum numero singulari caret: ut urbs Athenæ, Pisces signum, quoniam duo sunt. virg.---*Corydon ardebat Alexin Delicias Domini.*

Posteriore, ubi alterum est collectivum. Ovid.
Turba ruunt in me luxuriosa proci. Idem.
Quid meruere boves animal sine fraude doloque?

Animal hic collectivum est, sic apud Juvenalem:
Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum?

Tribus de causis fit Appositio, Primo, causa, restringendæ gene-

generalitis: ut urbs Gandavum, Arbor laurus, Mensis Junius. Secundo, causa removendæ æquivocationis: ut Leo signum ardet. Plin. *Lupum piscem non vidit Italia.* Æquivocum est polysemum; hoc est, dictio diversa significatione, multa significans, ut canis. Tertio fit causa attribuendæ proprietatis; ut Plato homo doctissimus.

Appositio declaratur per participium ens, licet parum sit in usu teste Prisciano: ut diligo petrum, hominem justum, i. Petrum entem hominem justum. Occurrit etiam ubi alterum substantivorum ponatur in genitivo nempe quod specialius est. ut oppidum Antiochiæ: urbs Patavi: terra Italiæ, & sic fit regimen.

EVOCATIO.

Si ternam primæ des, totum sit tibi primæ.
Sique secundæ des ternam, totum esto secundæ.
Pauper ego canto, Luca vir maximus audi.

Quando immediate primæ vel secundæ personæ jungitur tertia, tota oratio est primæ vel secundæ personæ: ut *Ego* pauper canto, tu dives trepidas. Dico immediate quia in Evocatione non potest intercedere conjunctio, estque hæc figura appositio quædam: exigit enim & personas ad eandem rem pertinentes, quarum evocans ab evocata declaretur, & præterea resolvi potest per ens, ut appositio: veluti, Ego pauper nil timeo, i. Ego ens pauper, aut qui sum pauper. Defende me tu vir optimus. Tace tu homo imperitus, ens, subintelligitur, teste *Valla*, tertio elegantiarum libro.

Quid sit Evocatio.

Evocatio est continua tertiæ personæ ad primam vel secundam reductio: ut ego Joannes sedeo. *Virg. Non omnia possumus omnes.* Quatuor sunt necessaria in evocatione: persona evocans, persona evocata, absentia conjunctionis, & verbum personæ evocanti conforme, persona evocans est prima vel secunda persona: Sola tertia est evocata. Duplex est evocatio, explicita & implicita. Explicita est ubi persona evocans, cum evocata exprimitur: ut ego Petrus scribo, tu Paulus ludis. Tit. Liv. *Audi tu populus Albanus.* Implicita est ubi persona evocans subauditur. Cicer. *Trahimur omnes laudis studio. Ave Cæsar summus Imperator.* Horat. *Decipimus specie*

recti

ecti pars maxima vatum. Ovid. *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Cic. *Omnes trahimur & ducimur ad scientiam cupiditate gloriæ.* Persona evocans & evocata tribus modis possunt esse diversorum numerorum. Primo, ubi alterum singulari numero caret, aut saltem heteroclitum est: ut *Ego* deliciæ tuæ canto. Secundo, in collectivis, Ovid.---*Populus superamur ab uno, vixque viro.*---Sensus est, nos populus superamur. Virg. *Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem, Prodimus.*---- Tertio, in distributivis. Ovid. *In magnis læsi rebus uterque sumus.* Persona evocans (nos) intelligitur, quia sensus est: Nos uterque sumus læsi.

Parasceue ad conceptionem.

Quæ per &, aut socios jungo, dante rite valorem
Pluralem: sic *cum* pro conjungente repostum.

Duo vel plura singularia copulata per conjunctionem, vel per præpositionem CUM, pro ET, valent sæpe dictionem pluralis numeri: ut Ego & tu, i. nos, tu & iste, i. vos Petrus & Joannes, id est illi. Ideo verbum, vel adjectivum, aut relativum erit pluralis numeri: ut Joannes & Petrus ludunt, quos video. Virgilius & Ovidius sunt docti. Exemplum de CUM. Apuleius. *Postquam finitum est illud Paridis judicium, Juno quidem cum Minerva tristes & iratis similes à scena redeunt, indignationem repulsæ gestibus professæ.*

Ovid. *Ilia cum lauso de Numitore sati.*

Nota quod conjunctio aliquando intelligitur per Asyntheton. Terent. *Dum ætas, metus, magister probibebant.* Quandoque multiplicatur per Polysyntheton: ut Ego & Petrus, & Paulus currimus.

Conceptionis regula.

Personam atque genus semper dabimus mage
digno.
Prima quidem reliquis præstat, ternæq; secunda
Masculeum reliquis præstat, neutri muliebre.

Copulatum æquipollens uni plurali est ejus pesonæ, aut generis, cujus est pars dignior, per conceptionem. Exemplum de personâ, Ego & tu est primæ personæ, quia est pars dignior ideo dicemus. *Ego tu disputamus.* Exemplum de genere: Petrus & Anna est masculini generis cujus est pars dignior copulati

pulati Petrus: ideo dicemus per adjectivum, masculini generis Petrus & Anna sunt pii.

(*Prima quidem reliquis præstat*, &c.) Prima persona dignior est secunda & tertia. Secunda vero solum tertia. Concipit ergo prima secundam & tertiam, secunda tertiam tantum. Tertia persona, ut indignior nunquam concipit (*Masculeum reliquis præstat*, &c.) Masculinum genus dignius foeminino & neutro, quæ ab illo concipiuntur. Foemininum superat & concipit neutrum: ut Lena & scortum sunt impudicæ.

Quid Syllepsis.

Conceptio est mediata indignioris ad dignius reductio: Ego tuque damus, Quinque in conceptione sunt necessaria. Dictio concipiens, dictio concepta, copula, verbum vel adjectivum concordantia cum dictione concipiente, & non concepta. Concipere hic est dignius esse, & ad se trahere. Conceptionis quatuor sunt species, personarum, generum, numerorum, casuum.

Conceptio personarum,

Personalis erit syllepsis, si modo verbum.
Rite coaptetur personæ nobiliori.

Conceptio personarum est, in qua persona à persona concipitur: ut Ego & Cicero valemus. Et est duplex directa & indirecta: Conceptio directa est, quæ fit sine cum: ut Tu & Petrus luditis: Indirecta est, quæ fit per cum præpositionem personæ concipienti adjunctam: ut Tu mecum gaudemus. Virg.

---*divellimur inde Iphitus & Pelias mecum*.---

Conceptio Generum.

Tum generum fiet syllepsis, mobile quando,
Aut referens, generi respondet nobiliori.

Conceptio generum est, in qua unum genus concipit alterum: ut Mars & Venus capti. Ptolemæus & Cleopatra sunt reges, Pater & mater sunt amandi, quos jubemur honorare. Conceptio generum est duplex, explicita & implicita. Explicita est, in qua genus conceptum & concipiens exprimuntur, ut Joannes ejusque uxor sunt pii. De Syllepsi generum implicita hi sunt versus.

Implicitam vocites generum Syllepsin *uterque*

E

probus, at debent mas & fœmella notari.

Conceptio generum implicita est, quando de viro & fœmina loquimur, non expressis concipiente & concepto: ut uterque est probus, de Petro ejusque uxore. Uter parentum eorum est mortuus. Semper oportet loqui de viro & fœmina, alioque esset figura. Genes. *Erat uterque nudus*, de Adam & Heva dicitur, Virg. de Cupidine & Venere. Æn. 4.

Una dolo divum si fœmina victa duorum est. Ovid. fast 3. *Nubere si voles, quamvis properabitis ambo, Differ habent parvæ commoda magna moræ.*

Conceptio generum implicita fit quinque modis. Primo per distributivum: ut Uterque est probus. Nullus homo est Græcus. Secundo, per particulare, ut alter horum loquitur. Tertio per demonstrativum: ut Hi sunt Christiani. Quarto, per quæsitivum: ut quis horum mentitur sexum? Quinto, per substantivum: ut Latona peperit geminos, *viz*. Apollinem & Dianam.

Conceptio casuum,

Syllepsis casus, per cum connectere verbo
Plurali primum casum solet, atque latinum.

Conceptio casuum est, in qua nominativus tertiæ personæ concipit ablativum mediante præpositione cum. Virg. I. Æn. ----*Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt* -----i. Quirinus & frater Remus, in hujusmodi orationibus qualis est, Ego tecum ludimus, magis est personarum conceptio, quam casuum: ideo dixi nominativus tertiæ personæ.

Conceptio Numerorum.

Posterior numerus vult dignior esse priore.

Conceptio numerorum est, ubi plurale concipit singulare: ut Discipuli & præceptor studiis fatigantur. Milites & princeps sunt bellicosi. Aldus affirmat plurale debere præcedere: ut Virg.----*Sunt nobis mitia poma. Castaneæ molles, & pressi copia lactis*. Alioqui fieri Zeugma ait.

In conceptionem generum annotatiuncula.

Vix bene dicitur. Calamus & papyrus sunt studioso necessarii, quia in conceptione generum, copulatum debet significare res animatas, sin minus; Adjectivum ei dabitur neutri generis, per regulam indifferentiæ.

REGULA INDIFFERENTIÆ.

Sint

Sint res absq; anima, ponetur mobile neutrum.

Quotiescunque substantiva rerum inanimatarum cujuscunque generis conjunguntur ad adjectivum, vel demonstrativum, vel relativum plurale ipsum erit neutri generis fere semper. Salust. *Nox & præda hostem remorata sunt.* Luc.--- *Serpens, sitis ardor, arenæ. Dulcia virtuti: Gaudet patientia duris. Virga tua, & bacculus, ipsa me consolata sunt.* Cicer. *Eadem mente comprehendimus colorem, saporem, odorem, sonum, quæ nunquam animus cognosceret. In promovendis, ætas, maturitas, gravitas morum & literarum scientia sunt inquirenda.* Tit. Liv. *Labor voluptasque dissimillima natura, societate quadam inter feras naturali sunt innexa.*

Dixi fere semper: quia quando res sunt inanimatæ, fit aliquando conceptio generum, sed rarissime, Luc.--- *Hinc leges & plebiscita coactæ.* Cicero in som. Scip. *Consilia cætusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur.* Salust. *Fama atque fortuna eorum pars sunt.* Just. *Misericordia in eo & perfidia pari jure delectæ.* Fit & implicite indifferentiæ regula, veluti Utrumque est homini utile: scilicet aqua & ignis. Similiter ubi non de multis loquimur, sed multa uni convenire significamus. Plaut. *Utrumque hæc multiloqua, & multibiba est Anus.*

PROLEPSIS.

In partes totum partitur rite Prolepsis,
Cum verbo positum, Tacitum quandoq; videbis

Propter totum cum verbo vel adjectivo congrue constructum in partibus, verbum vel adjectivum eleganter intelligitur per Prolepsin: quæ Latinè Præsumptio dicitur. Terent. *Ambo defessi sumus ego vapulando, ille verberando.* Li. *Duo Reges alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt.* vidi duos angelos sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes ejus. Totum est dictio pluralis numeri, ut homines, aut copulatum, ut petrus & paulus: aut dictio collectiva: ut Turba, populus.

Quid Prolepsis.

Prolepsis est attributio proprietatis toti diviso in suas partes, quæ totius proprietatem vario modo continent: ut omnes student: hic scientiæ, ille pecunia; alius veneri. Totum est omnes, cui attribuitur proprietas student, quæ in partibus hic, ille, alius vario modo continentur. In Prolepsi sunt quinque

quinque necessaria, Totum partes, determinationes partium, proprietas, & ordo. Proprietas, est verbum vel adjectivum, ordo in eo consistit, ut præcedat totum, & partes sequantur. Duplex est prolepsis, explicita & implicita; Implicitam indicat posterior versus, eámque vocat tacitam: Prolepsis explicita est, in qua totum & partes exprimuntur: ut Sal. *Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Galliâ obstant.* Implicita est in qua totum intelligitur, vel partes in adjectivo continentur. Ter. *Curemus æquam uterque partem, tu alteram ego item alteram.* Totum nos intelligitur in curemus, & partes continentur in uterque: Ego & tu nempe. Salust. *Cæperunt se quisque magis magisque extollere.* Ovid. *Vestras quisque redite domos,* pro vos redite domos, tu tuam, alius suam.

ZEUGMA QUID.

Unius est verbi ad diversa reductio Zeugma,
Aut adjectivi. *Nihil hic, nisi carmina desunt.*
Iratus Rex est, Reginaque non sine causâ

Zeugma est unius proprietatis ad diversa reductio: ut Carus est panis & vinum. Ego sicut fœnum arui. Differt Zeugma à Syllepsi, In Zeugmate una proprietas diversis tribuitur, uni expressè, alteri subauditè: ut iratus est Rex & Regina. In Syllepsi proprietas pluribus tribuitur simul: ut Rex & Regina irati sunt. In Zeugmate quinque sunt necessaria, proprietas, duo substantiva, conjungens & concordantia proprietatis, cum uno expressè, cum altero intellectè. Tres sunt Zeugmatis species. Protozeugma, Mesozeugma, & Hypozeugma: Latinè Zeugma à superiori, Zeugma à medio, Zeugma ab inferiori. Protozeugma est, in quo verbum vel adjectivum ponitur in principio. Virg. *Nunc silet omnis ager, pecudes pictæque volucres.* Mesozeugma est, in quo verbum vel adjectivum ponitur in medio. Corn. Tacit. *Mediocres poëtas nemo novit, bonos pauci.* Virg. *Caper tibi salvus & hœdi:* Cœli movendi sunt, & terra. Hypozeugma est in quo proprietas in fine ponitur. Virg. ----*Nihil hic nisi carmina desunt.* Ter. *Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.*

Antiptosis seu casûs Enallage.

Antiptôsis erit, pro casu ponito casum.
Pars etiam mutata locum pro parte tenebit:

Pro genere adde genus, tum verbis nominibusq;
Personam pro persona; pro tempore tempus;
Próq; modo suppone modū, numerumq; decenter
Pro numero, tibi fiet Enallaga rarior usu. (t

Antiptosis quæ Enallages est species, est casus positio pro casu. Horat. *Macte virtute esto*, pro mactus. Duplex est antiptosis; Licita & illicita. Licita, ut id genus, pro ejus generis: id ætatis, pro ejus ætatis: id temporis profectus est, pro eo tempore, quibus in extremis, pro in quorum extremo, quam plurimæ in oratoribus etiam usurpatæ. Illicita quæ notanda potius, quàm imitanda. Plaut. *Alienis rebus curas*, pro res alienas. Idem. *Quid tibi hanc rem curatio.* Teren. *Boni & liberalis viri officium functus es.* Pro officio. Enallage est permutatio, vel unius partis orationis pro aliâ, vel accidentis pro alio accidente. Sic nomen pro adverbio, Libens faciam. Adverbium pro Pronomine. Ter. *Hinc illæ lachrymæ*, pro ex hoc: Verbum pro nomine. Velle suum cuique est; pro Voluntas. Sic conjunctio pro adverbio, quidem pro certè. In eâdem parte proprium pro possessivo: Dardana suscitat arma, i. Dardania. Sic proprium pro adjectivo, *Hector uterque animo, Tullius eloquio*, pro fortis & disertus. Accidentia pro accidentibus.

Activum verbum pro passivo. ----Nox humida coelo præcipitat, pro præcipitatur. Et Virg. *Pictis bellantur Amazones armis*, pro bellant activo. Persona pro altera. Ter. *Si quis me quærat Rufus præsto est*, pro præsto sum: nam ipse loquitur. *Dii faciant sine me non moriatur ego.* Tempus pro tempore. Virg. 3. Æn. *Et nimia cura resistat*, pro resistere, vel restitisset.

Sic modus pro modo: quiescas pro quiesce: ut sæpe infinitivus pro præterito imperfecto indicativi. Ter. *Facile omnes perferre ac pati*, pro perferebat & patiebatur. Salust *Romani festinare*: pro festinabant.

Numerus etiam pro numero. Dedimus operam, pro dedi. Cic. *Si tempus est ullum, jure hominis necandi, quæ multa sunt*, pro tempora. ---Medióque ex hoste recepit, pro hostibus.

SYNTHESIS.

Synthesis haud vocem, sed cernit significatum,

Rem

[R]em magis aſpiciunt, quàm vocem ſæpè poetæ.

Syntheſis eſt figura in quâ conſtructio refertur ad ſenſum & [i]ntellectum non ad vocem, ut 1. Æneid. *Pars in fruſtra ſecant, [v]erubuſque trementia figunt.* i. aliqui. Hanc figuram apud ora[to]res vix unquam reperies, ſed familiaris eſt poëtis & hiſto[ri]cis, præcipuè tamen poëtis. Syntheſis eſt triplex, adjectivi [&] ſubſtantivi, Relativi & antecedentis, Nominativi & ver[b]i. Syntheſis inter adjectivum & ſubſtantivum, Relativum [&] antecedens; quinque fit modis, primò ratione diſcer[n]endi ſexus. Plaut. *Audivi ſæpè hoc vulgò dicier, ſolere ele[p]hantem gravidam perpetuos decem eſſe annos.* De relativo ut [s]i quis dicat, Anſer, quæ incubat ovis. Secundò, ratione ſub[a]uditionis: ut---Præneſte ſub ipſa, ſubaudi urbe. Rex eſt [C]arnoti, quæ eſt pulchra. ſcilicet urbs, Tertiò. ratione col[l]ectivi. Corn. Tac. *Magna pars ſaucii, aut palantes in mon[t]em Vocetium perfugere.* Apu. *Vulgus ignobile quos, &c.* Quar[t]ò ratione diſtributionis: Ovid. 2. remed. *Utraque formoſæ [P]aridi potuere videri.* Ter. *Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat [b]onis quam plurimus, in his poëta nomen profitetur ſuum.* Quintò, [r]atione abſtracti pro concreto poſiti. Ter. *Scelus, poſtquam eſt ludificatus virginem, ad rem reſpexit, teſte Donato.* Idem. Ubi ille ſcelus, qui me perdidit, i. plurimum ſceleſtus. Syntheſis in nominativo & verbo fit duobus modis, priore, ratione collectionis. Stat. *En utraque gentis Turba rogant.* Poſteriore, cauſa diſtributionis, Sal. *Uterque inſaniunt.* Ovid. *Quo ruitis? Veſtras quiſque redite domos.*

ECLIPSIS

Multa per Eclipſin ſæpè intellecta tacentur.
Dictio namque regens caſum, vel dictio recta
Sæpè deeſt: ſupplenda tamen cum poſtulat uſus.

Dictio ſæpè regens caſum, aliquando etiam dictio recta eleganter ſubauditur. Difficilia quæ pulchra, ſubaudi, ſunt. Ter. *Ubi ad Dianæ veneris.* Cic. *Quod in tabulis quæ ſunt ad Opis patebat.* Tit. Liv. *Linteis libris ad Monetæ inventis:* ſub. audi, templum.

Eclipſis eſt prætermiſſio neceſſariæ dictionis ad rectam orationis ſtructuram, quæ in omnibus orationis partibus lo-

cum habet & gratiam: quam eruditè & copiosè, sicuti reliquas figuras tractat Linacer.

Adverbia & interjectiones.

En, *ecce*, *hem*, primum, quartúmve aliquando requirunt, (vum
Heu petit & quintum, velut *o*, *hei*, *væhque* dati-
Proh, primum, quartum, quintumque notatur habere.

Hæc adverbia demonstrandi, en, ecce, hem, petunt post se nominativum vel accusativum. Cic. *Ecce tibi status noster.* Ter. *Hem astutias!* Hem comicum est, non oratorium. Est sæpe exprobrantis. Ponuntur & sine casu, & tunc fere utimur, ubi quid ex improviso fieri significamus.

(Heu petit & quintum. velut o) Heu, & O, petunt post se nominativum, accusativum, & vocativum. Plin. *Heu dementia, allatoris adventus semper est gratus.* Cic. *O variam volucrémque fortunam!* Item. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contráque fictas omnium insidias, facile se per seipsam defendit?* O servit omni affectui, teste Valla, & pulchrè subauditur, quando affectus est parum vehemens. Cic. in Anto. *Indignum facinus, & hominem nequam.* Hui, levioris caloris est interjectio petens accusativum. Ter. *Hui tam graves rastros, quæso.*

(Hei væhque dativum.) Duæ interjectiones, *hei* & *vah*, regunt dativum post se. Virg. *Hei mihi qualis erat.* ------Mart. *Væh tibi causidice.* Væh quoque cum accusativo antiqui posuerunt.

(Proh primum, &c.) Proh interjectio dolentis, indignantis, & aliquando admirantis construitur cum nominativo, accusativo, & vocativo: ut Proh dolor. Plaut. *Proh sancte Jupiter, quid video?* Terent. *Proh Deûm, atque hominum fidem.*

Junguntur verbis adverbia, nominibusque,
Participisque, aliis constructa abverbia cernes.

Exempla regulæ: benè audit, temerè judicans, Vix vir, Valde benè. Cætera huc pertinentia vivâ voce discipulis sunt tradenda.

REGIMEN GENITIVI.

Regula Prima.

SI

SI duo continuè jungantur fixa, nec una
Sit res, in patrio rectè casu dabis unum.

Omne nomen substantivum regit alterum substantivum in genitivo, si ipsa pro diversis significentur accipi, conjunctione nec explicitè nec implicitè intercedente: ut Ager Petri. Facundia Ciceronis. Biantis dictum. Valere corpore, naturæ munus est: Divitiæ dantur à fortunâ. Sapientia animi bonum est. Summa sumarum, apud Plin.

Elegantiæ Regula.

Quoties loquendum foret per quis, quæ, quod, multus, is, minor, tantus, quantus, & alia nonnulla adjectiva, venustè adjectivum in neutro genere substantivum efficimus, mutando prius substantivum in genitivum. Quæ causa, quid causæ: multa pecunia, multum pecuniæ. Nullus in nihil vertitur ut Nullus locus, nihil loci. Plaut.

Neque habet plus sapientiæ quam lapis. Juven. Sat. 3.
Quantum quisque suâ nummorum servat in arcâ;
Tantum habet & fidei.--------- Horat.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minus invidiæque.

Pleráque adjectiva neutra pluralia regunt genitivum singularem, Acuta belli, Aperta Oceani. Vel pluralem sæpiùs Amara curarum: Ardua montium: incerta casuum: angusta viarum: ubi rectio ponitur pro convenientia, pro amaras curas, angustas vias, &c. Pulcherrimum est id temporis pro eo tempore: id ætatis pro eâ ætate: id locorum pro eorum locorum. Neque hoc regimen solum in nominativo aut accusativo fit. Valer. Max. *Fuerat eodem loci.* Idem. *Multo jam noctis serum auxilium venit.* Nomen substantivum regit genitivum primitivi pronominis: Arma illius. Quia primitiva capiuntur substantivè, & à substantivis pendent.

Appendix

Instar amat patrium, quandoq; notabis *adinstar*
De *Mei*, *Tui*, *Sui*, *Nostri*, *Vestri*.

REGULA SECUNDA.

Possessum spernit patrium, quo passio fertur;
Filius ergo *mei*, ne dixeris: at *meus* inque.

Nomen significans rem possessam, non potest pro possidente vel habente regere genitivos primitivorum passivè significantes, mei, tui, sui, nostri, vestri: sed pro iis sumit possessiva. Filius mei, non dicitur, sed meus: nec pater nostri, sed noster: quia mei, tui, sui, nostri, vestri, non significant possessorem, sed passivè rem acceptam: ut Amor tui, quo amaris. Desiderium mei, quo ego desideror. Amor tuus, quo tu aliquem amas. Desiderium meum, quo ego desidero. Sunt quidem meus, tuus, suus, noster, vester, activè significantia & cum suis substantivis conveniunt, sicuti genitivi primitivorum reguntur solùm à nominibus substantivis.

Possessiva tenent patrios pronomina quinos.

Pronomina possessiva quinque, Meus, tuus, suus, noster, vester, Genitivos quintuplices adsciscunt. 1. Numerorum cardinalium: Noster duorum eventus ostendet, utra gens bello melior. 2. Universalium & particularium. Cic. *Voluntati vestræ omnium parui.* Idem. *Qui vestris paucorum laudibus respondent.* 3. Adjectivorum: unius, ipsius, solius. Cic. *Solius enim meum peccatum corrigi non potest.* Idem. *Ex tuo ipsius animo conjecturam feceris.* 4. Participiorum. Ovid. Amor ----*Sæpè rogabis, Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.* -----*Nostros vidisti flentis occellos.* 5. Substantivorum. Cicer. *Tuum hominis simplicis pectus vidimus.* Genitivi nostrum & vestrum partitivè capiuntur, & cum iis eandem Syntaxin habent: uterque nostrum, nullus vestrum.

REGULA TERTIA.

Temporis, atq; loci, quantiq; adverbia quædam,
Exoptant patrium: dic *venimus illius ergo.*

Quædam adverbia temporis, loci, quantitatis, regunt genitivum. Temporis, *In Esaia,* tunc temporis, tum temporis, interea loci, id temporis, pridie illius diei. Postridie absolutionis. Cic. Dicimus etiam pridie Calendas, postridie Nonas, pridie Idus, & tunc intelligi videtur præpositio ante vel post, cujus virtute accusativum habent. Loci, ubivis gentium, nusquam gentium, unde gentium, ubi terrarum in quibus gentium & terrarum, solum ornatûs gratia ponuntur. Cicer. *Tu autem abes longè gentium.* Cicer. *Eo discordiæ ventum est;* valde elegans locutio, pro ad eam discordiam. Cic. *Quo* *miseriæ*

miseria venimus? Persius. Huccine rerum venimus? Quantitatis? Satis loquentiæ. Affatim lignorum, partim hominum. Ovidiana Helena ad Paridem: Nec tibi plus cordis sed magis oris inest. Plaut. Virtute ambire oportet, non fautoribus: Sat habet fautorum semper qui recte facit.

Cave dicas parvum vini, sed Parum: nec magnum oris, aut magis oris, sed multum, & magis. ubi enim adverbia sunt quantitatis, nominibus neutri generis genitivum vix damus. ergô aliquando adverbium est cum genitivo. Virg. 6. Æneid. ------Illius ergô Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.

REGULA QUARTA.

Quævis proprietas, aut pars cui môbile jungis,
Laudem significans, aut vituperamen, habeto
Aut patrium aut sextũ: ceu *vultus fœmina pulchri*,
Aut *vultu pulchro*. Quandoq; Synécdoche habebit
Ritè locum quarto aut sexto: ceu *candida collum*
Aut *collo*: *miserè doleo cor*, *cordeve* dices.

Substantivum subjecti, aut totius, regit dictionem proprietatis, aut partis cum adiectivo laudis vel vituperationis, in genitivo vel ablativo, proprietatis, ut vir summæ virtutis, vel summa virtute. Plin. *Aristoteles vir immensæ subtilitatis*. Cicer. *Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci*. Terent. *Homo antiquâ virtute ac fide*. Partis, Populus duræ cervicis, vel durâ cervice. Herba magnæ radicis, vel magna radice, Parasitus avidissimæ gulæ, vel avidissima gula. Terent. *Virgo rufa, cæsia, sparso ore, adunco naso*. Subjectum est, cui aliquid accidit: ut Homo subjectum est scientiæ, proprietas est res quæ accidit: ut scientia est proprietas, quia accidit homini.

Synecdoche quando fiat

Quandoque Synecdoche habebit, &c.) Nomen adiectivum aut cum participio verbum passivum, aut neutrum, significans proprietatem aut accidens in parte rei, potest illius partis dictionem in accusativo vel ablativo regere per Synecdochen: ut Æthiops albus dentes vel dentibus. Doleo caput vel capite. Frangor brachium vel brachio. Fractus membra vel membris.

Synecdoche quid. Synec-

Synecdoche est, quando adjectivum vel verbum conveniens cum toto, regit partem totius in accusativo vel ablativo: ut Puer bonus indolem vel indole: *Ennius ingenio maximus, arte rudis.*

Synecdoche fit vel per { Adjectiva vel { Nominal. puer bonus indolē vel indole. Participialia: Vir vulneratus caput vel capite. } Verba vel { Neutra: Petrus rubet faciem vel facie. Passiva: Petrus truncatur manu vel, manibus. } }

Hæc figura tantum ad animi & corporis qualitatem pertinet, nihil ad externa respiciens, proinde Synecdoche non est Potens divitiis. Gravis pietate. Præditus dignitate. Sed in hoc Martialis disticho in Zoilum.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Synecdoche dividitur in directam & indirectam. Directa est, in qua veræ partis dictio in accusativo vel ablativo regitur: ut Nuda pedem vel pede. Indirecta Synecdoche est, in qua non vera pars, sed pro parte adjacens quidpiam reperitur. Virg. 1. Æneid. *Perfusus sanie vittas.---*

In Synecdoche constructionis tria sunt necessaria: Totum, pars, proprietas, id est verbum vel adjectivum. Constructionis synecdoche poëtis maximè licet uti, proximè deinde historicis, oratoribus vix unquam.

Regula quinta, Opus. Usus.

Poscit *opus* sextum, tolerans quandoq; secundū:
Ut *mihi libro opus est, at opus dux*, Tullius inquit,
Est nobis. Ut *opus* Plautus sic utitur usus.

Opus substantivum regit ablativum cum dativo intercedente verbo sum: habet quoque sed rarissimè genitivum pro ablativo. Cic. *Authoritate tuā nobis opus est, & consilio, & etiam gratia.*

Ovid. *Non minor est virtus quam quærere, parta tueri.*
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Salust. *Priusquam incipias, consulto, & ubi consulueris, mature facto opus est.* Hic ablativi participiorum neutri generis eleganter ponuntur pro infinitivis consulere & facere. (*At opus*

pus dux. Tullius, &c.) *Opus* pro necessario interdum adjectivè indeclinabile convenit cum substantivo. in genere, casu, & numero. Cicer. *Dux nobis & auctor opus est.* Idem. *Dices nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi.* Cæsar. *Respondit, si quid à Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse.* Sic dicimus; opus est mihi consilio à te. (Ut opus Plautus sic utitur usus) Usus capitur aliquando pro opus, & regit similiter ablativum cum dativo intercedente verbo substantivo, præsertim apud Plautum in Asinaria. Viginti jam usus est filio argenti minis. Menedemus apud Ter. Mihi sic est usus, tibi ut opus est facto, face. *Ch.* An cuiquam est usus homini, se ut cruciet ? *M.* Mihi est.

Regula de adjectivis verbalibus.

Activè signans verbale dabit genitivum
Mobile: ceu quædam, quorum vix scitur origo.

Adjectivum verbale & participiale activè significans, regit genitivum: ut quædam adjectiva, de quibus an verbalia sunt ambigitur: ut Amans vini: Patiens frigoris: Consultus juris. Memor beneficii: Compos voti. Ut plurimorum nominum ad hanc regulam pertinentium vis liquescat, opus est sequentem annectere differentiam.

Amans vini & amans vinum, sic differunt: Amans vini est qui multum vinum cupit, & ex consuetudine amat: nec præsens tempus hîc magis significatur quàm præteritum: est enim Amans nomen comparabile. Amans vinum est, qui jam amat vinum, & participium est. Sic patiens frigus, qui patitur. Patiens frigoris, qui per multam consuetudinem frigus facilè tolerat, & multos videas patientes frigus, minimè patintes frigoris. Doctus Grammaticam, qui Grammaticam didicit, etiamsi neglexerit, participium est. Doctus Grammaticæ, qui multo usu grammaticam callet, nomen est: Ita dices in reliquis.

Undecuplicia adjectiva nomina regunt casum hujus regulæ. primo in ans & ens.

Amans, fugiens, patiens, fugitans, potens pro potentiam habens, nam pro abundans etiam ablativum habet. Virg. de Italia. *Terra antiqua potens armis. atque ubere glebæ.* -

Sen. *Amantes tui ama.* Sal. *Catilinæ patiens inediæ algo-*

ris

ris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est. Tac. *Vulgus capie[n] voluptatum* Juvenal. *Metuens virgæ jam grandis Achilles.* Salustius *proprietatum in verbis retinentissimus, consuetudini concessit.*

Secundo in tus, sus, è præteriti temporis participiis.

Doctus, indoctus, profusus, peritus, imperitus, insuetus, suspensus. Saluft. *Alieni appetens, sui profusus.* Horat.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.
Indoctusque pilæ discive trochive quiescit.
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.

Tertio in ivus.

Cometes est belli significativus. Plin. Imitativus juris, multis sic utuntur medici: ut, Herba expulsiva veneni. vinum incentivum libidinis: sic virtus sui diffusiva, lapis constitutivus sanguinis. Potio opitulativa alvi. Ita apprehensivus, penetrativus, &c.

Quarto. in idus:

Avidus, cupidus, trepidus, validus, impavidus. Plin. *Natura hominum est novitatis avida.* Plaut. *Leno auri cupidus,*

Ovid. ----*Cupidus studiorum quisque suorum.*
Tacit. *Animi validus, & corpore ingens.*

Quinto in ax.

Rapax, capax, ferax, fugax, sagax, pervicax. Quint. *Natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.* Tacit. *Opum contemptor, recti pervicax.* Ovid. 15 Metam.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.----Idem de scipso, lib. 3. Trist.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori.
Solicitæque fugax ambitionis eram.

Sexto. *in osus.*

Ambitiosus dignitatis, studiosus, curiosus, incuriosus. Cicer. de amic. *Pila studiosi fuerunt.* Phileph *Quid enim earum rerum sumus curiosi, quæ animæ curas non adimunt, sed augent?* Osus, perosus, & exosus, modò nomina sunt activè significantia, cum genitivo: ut exosus vitæ, perosus ridendi: sed passivè capta cum dativo: ut Epictetus Diis haud est exosus. Modò sunt participia accusativum regentia, licet verba exodi & perodi non sint in usu. Columella. *Immundam segnitiem perosa est.* Ovid.

Ille perosus opes, sylvas. & rura colebat.

Septimo in ius. Dubius,

Dubius, nuncius, ſcius, præſcius, conſcius, neſcius, innoxius, obnoxius. Virg. Fama eſt:

Tam ficti praviq; tenax, quam nuncia veri. Idem.

Æn. 10 *Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,*
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis. Auſon.
Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

Docilis, ſuſceptibilis, penetrabilis, mutabilis. Ovid,
---*Pravi docilis Romana juventus.* Plin.
Luſcinias Græco atque Latino ſermone dociles, Hic docilis ablativum habet. Valer. Max. *Alexandri pectus inſatiabile laudis.*

Nono in rus.

Avarus pecuniæ: maturus, ſecurus, gnarus, ignarus. Tacit. *Famæ nec curioſus, nec venditator, pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus publicæ avarus.* virg. 1. Æneid.

Clam ferro incautum ſupera, ſecurus amorum
Germanæ.--- Horat.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, laudem præter nullius avaris.

Decimò in gus.

Prodigus pecuniæ. Belli præſagus. virg. de Drance,
Largus opum & linguâ melior, ſed frigida bello Dextra.

Undecima, plurima diverſæ terminationis nomina.

Rudis, compos, impos, memor immemor, fœlix, infœlix, æmulus. Multa puer ſimilia obſervabis crebrâ lectione. Cicer. *Græcarum literarum rudis.* Plaut. *Ita me Rex Deorum atque hominum faxit patriæ compotem.* Saluſt. *Laudis avidi. pecuniæ liberales erant.*

Claud. *Munificus laudis, ſed non eſt prodigus auri.*

Oriundus rariſſimè habet genitivum, frequenter vero ablativum, cum præpoſitione à vel ab, vel ſine præpoſitione.

REGULA SEPTIMA.

Affinis, ſimilis, communis, par, propriúſque
Finitimus, fidus, contérminus, atque *ſuperſtes,*
Conſcius, & ſocius, conformis, ſive *propinquus,*
Et *vicinus, amicus,* avet jungi his *alienus:*
Hæc caſum ternum donabunt, ſive ſecundum,
Cætera queis damnum ſignâbitur, utilitáſve,
Cum terno Pones. *Armis* ſer, & *aptus ad arma.*

Quædam adjectiva regunt genitivum vel dativum, frequentius tamen dativum: ut affinis senectutis vel senectu[ti]. Similis patris plerumque dicitur de moribus, similis patri d[e] figurâ. Commune omnium vel omnibus. Par tui vel tib[i]. Par odio, importuna benevolentia. Finitimus fluvii vel flu[vio]. Cicer. *Est finitimus oratori Poëta,* Fidus amici vel ami[co]. Conterminus fontis vel fonti. Superstes dignitati[s] paternæ, vel dignitati. Conscius deliciarum, vel deliciis. Socius belli, vel bello. Conformis imaginis, vel imagini. Propinquus, vicinus urbis vel urbi. Erasmus. *Aurora Mus[is] amica est, & apta studiis.* Quintil. *Sicut aves ad volatum, equ[i] ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia.* Idem. *Rationem nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit.* Ovid. *Mala sunt vicina bonis.* Alienus consilij, consilio, & à consilio. Terent. *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.*

(*Cætera queis damnum,* &c.) Cætera adjectiva quibus significatur cuipiam utilitas vel damnum, regunt dativum, & sunt quintuplicia.

Primo, adjectiva adversitatis sive contrarietatis.

Hyems est nobis gravis. Infestus hosti, id est valde molestus. Infensus discipulo, i. valde iratus. Ovid.

Qui color albus erat, nunc est contrarius albo. Plaut.
Opulento homini haud magis servitus dura est,
Hoc magis miser est divitis servus.

Hoc modo construuntur plurima contrarietatis, seu repugnantiæ verba, de quibus agemus in constructione dativi.

Secundo, adjectiva proximitatis.

Confinis, intimus, familiaris, adjectivum.

Cato *Proximus ille Deo qui scit ratione tacere.*

Reducuntur huc multa proximitatis verba: propinquo, adhæreo, proximo. Solini verbum proximo, quod, ut alia, pro dativo, potest habere accusativum cum præpositione ad, Solin. *Geloni ad hos proximant.*

Tertio, verbalia in bilis passivè significantia.

Auson. *Multis terribilis, caveto multos.*
Horat. *Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.*
Idem. *Nulli flebilior quam tibi Virgili.*
Virg. *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.*

Quarto, verbalia in dus.

Ovid.

Ovid. *Sæpè tibi pater est, sæpè legendus avus.*

Horat. *Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper,*
Multaque divitibus non patienda ferat.

Idem. *Si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi.*

Sed hoc magis est gerundium nominativi casus. Legendus nomen, id est Legi dignus, aut qui debet legi. Legendus participium, id est, Qui legetur. Ita dicas de reliquis.

Quintò, varia.

Plurima dativum adsciscunt, de quibus non datur certa lex, quæ semper ex se, vel ex adjuncto, commodum vel incommodum, damnum vel utilitatem important: ut Gratus, ingratus, jucundus, injucundus, fidelis, fidus, perfidus, infidus, dulcis, amarus, congruus, prosper, fœcundus, dexter, obnoxius, pestifer, exitialis, odiosus, malus, nequam, &c. *Sapiens.* Qui sibi nequam, cui bonus? *Publ.* O vita misero longa, fœlici brevis. *Senec.* Cunctis esto benignus, nulli blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. *Plin.* Fidelissimi ante omnia homini, canes & equi. Cato. *Somno ne deditus esto.* Absonus fidei, apud Liv. id est infidelis. *Absonus voce* cui inepta vox est. Cicer. *Sunt quidam aut linguâ ita hæsitantes, aut voce absoni.* Absonus à voce, id est discordans.

(*Armis fer, & aptus ad arma.*) Quædam pro dativo possunt accusativum habere cum præpositione ad. Horat. *Infirmo capiti fons aptus, idoneus alvo.* Plaut. *Tot quidem non potuisti adducere homines, magis ad hanc rem idoneos.*

REGULA DE PARTITIVIS.

Partitiva volunt genitivum: ut signa, gradusq;
Pronomen, numerus duplex, adverbia quædã.

Dictio partitiva postulat genitivum pluralem nominis non collectivi, vel singularem collectivi: ut quisque hominum. Partitivum est, quod partem multitudinis indicat, sive sigillatim multa significat, ut aliquis, quidam, nullus, neuter.

Quintuplices dictiones regunt genitivum, per regimen partitionis. Primò, signa universalia quædam: ut Quicunq; hominum peccaverit, punietur. Particularia verò, ut Surripuit commilitonum aliquis, librum meum. Interrogativa, ut quis horum mecum ibit? Uter vestrum scit latinè? Secundò, casum hujus regulæ petunt gradus comparationis. Positivus

 quidem

quidem. Plin. *In capite paucis animalium nisi volucribus ape* Idem. *Lanarum nigræ nullum colorem bibunt.* Comparativu ut Fortior manuum est dextra. Superlativus: ut doctissim Poëtarum, optimus plebis.

Tertiò, omne fere pronomen regit genitivum hujus reg læ: ut hæc volucrum, illa sororum. In Ethicis Aristoteli *Laudamus quidem juvinum eos, qui sunt verecundi.*

Quartò, duplex numerus regit casum hujus regulæ, num rus cardinalis, i. principalis, quo vulgò numeramus, duo, tre quatuor, quinque: ut Duo istorum, Centum virorum. numerus ordinalis, quo ordinem indicamus: ut primus h minum. Octavus sapientum. Unus, numeri principiu & solus, pro quo unus eleganter ponitur, hunc casum regu Plin. *Calvitium uni tantum animalium homini inest.* Ide solus animalium. Quot, tot, quotus, ultimus, ad numeros pe tinent. Ideo genitivum partitivè regunt. Terent. *Quot h minum istic litigant.* Juvenal.

---- Regum ultimus ille bonorum.

Quintò, adverbia quædam regunt casum hujus regulæ, ub que locorum, nusquam scripturarum. Omnium dulcissim canit philomela. Plin. *Lynces clarissimè omnium quadrupedu cernunt.*

ANNOTATIUNCULA 1.

Pro genitivo hujus regulæ, licet interdum ponere casus pe quos declaratur, nempe accusativum cum inter, aut ablat vum cum de, vel ex, vel in pro inter: ut unus istorum, id est i ter istos, vel de, vel ex, vel in istis. Sueton. *verbum M. Cato est, unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Remqublicã sobri accessisse.*

ANNOTATIUNCULA 2.

Substantiva partitivè non regunt, nisi per subauditione adjectivi partitivè positi. Plin. *Quadrupedum, alpis visus n est,* subaudi solis. Sciendum est etiam nomina quædam su prædictis non comprehensa, partitivè consttrui: ut mediu & dimidius. Horat. *Virtus est medium vitiorum.* Idem. *Dim dium facti qui bene cæpit habet.* Porro adjectivum partitivu debet esse ejusdem generis cum genitivo quem regit, ut se quitur.

Sit conforme genus, partitio quando notatur

Ni

Ni collectivum, vel vox heteroclita detur:
Rectè etiam dices, *Quid agis dulcissime rerum?*

Adjectivum partitivum convenit cum genitivo in genere: ut quisque virorum quæque fœminarum. tres sunt ab hac regula exceptiones, prima, in collectivis: ut optimus plebis. secunda, in heteroclitis, ut infimum cœlorum lunam continet. Tertia, ubi adjectivum præcedens respicit. Terent. *Est genus hominum qui se primos omnium rerum esse volunt*, Horat. *Quid agis dulcissime rerum?* Boet. *Confitemur Deum omnium rerum esse præstantissimum.*

De Comparativis & Superlativis partitivè sumptis.

Res similis generis medius gradus, atq; supremus
Poscunt: ille duas, hic plures usque duabus.

Comparativus & superlativus, ut regant genitivum per regimen partitionis, requirunt comparationem inter res ejusdem generis, vel naturæ: Comparativus inter duas, Superlativus inter plures duabus: ut dextra est fortior manuum, pollex est fortissimus digitorum, Ideo malè dicitur, Hector est fortissimus Græcorum, quia non fit comparatio inter ea quæ sunt ejusdem generis: cum Hector non sit Græcus, sed Trojanus: Esse ejusdem generis nihil est aliud, quàm quando excedens & quod exceditur, ejusdem sunt naturæ & conditionis.

Regula Comparativi.

Sin minus ista aderunt, medio gradui dato sextū

Ubi comparatio non fit inter duo ejusdem generis, comparativus habet ablativum, qui per quam exponitur: ut doctior illo, vel doctior illis. Hector fuit fortior quovis Græco; Horat. *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*

Mensuræ sextus medio superadditur atque.

Additur comparativo ablativus mensuram excessus significans: ut sum longior te quatuor digitis. Item hi ablativi opinione, fide, justo, æquo, solito, dicto, et similes rem excessam non significantes. Cicer. *Majorem opinione hominum cepi dolorem.* Juven.

Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo.
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Casum imi medius poscunt gradus atque supremus.

N com-

Comparativus ac ſuperlativus regunt etiam omnem caſum ſui poſitivi: ut plenior rimarum, pleniſſimus rimarum: quia plenus rimarum dicimus. Sic gratus Regi, gratior Regi, gratiſſimus Regi.

Ponitur in neutro medius, ſed non minus aptè.

Comparativus in neutro genere elegantiſſimè ponitur: ut ornatius dixeris: nihil tuo patre generoſius: Nihil Virgilio ſuavius, Nihil matre tua caſtius, quàm, Nullus patre tuo generoſior: Nemo Virgilio ſuavior. Nulla matre tuâ caſtior.

REGULA NONA.

Dat patrium aut ſextũ tibi *copia*, ſicut *egeſtas*,
Plenus, *inops*, *ſaturat*, cum fratribus *implet*, *abundat*,
Atque *egeo*, *careo*, teſtes: quibus adjice *ſanus*,
Et *miſer*, & *dignus*, cum pluribus, & bene multa
Verba: velut *crucio*, cum *pendeo*, *lætor*, & *ango*,
Decipio, *abſtineo*, *potior*, ſic, ponis *aloque*,
Indoleo, *recreo*: quæ pluraque proſa recludet.

Adjectiva & verba quædam copiæ & egeſtatis, cum nonnullis aliis, regunt genitivum vel ablativum: ut plenus rimarum ſum, ſinum lacte plenum, inops conſilii ſum, inops ſermone, potior regni.

Virg. *Auro vi potitur, Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames*? Ter. *Quaſi tu hujus indigeas patris*. Valer. *Malo virum pecuniâ, quàm pecuniam viro indigentem*. Jam latè omnia declarabo.

Adjectiva genitivum vel ablativum regentia.

Genitivum vel ablativum indifferenter habent. Plenus, locuples, ſatur, dives, abundans, refertus, fœcundus, egenus, indignus, immunis, pauper, & plura, ſi doctiſſimorum uſum diligenter rimemur. Virg.

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quæris Alexi.
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.

Hic abundans nomen eſt, teſte Priſciano, quia verbum abundo rariſſimè genitivum regit. Horat. De arte.

Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.

Lucan. lib. 1. *Fœcunda virorum paupertas fugitur.*

Plaut. *Amor, & melle & felle est fœcundissimus.* Ovid.
Quis matrem nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat?
Cicer. Inops verbis, Sæpiùs genitivum regunt, sterilis, vanus, expers, inanis, & alia nonnulla. Plautinus Sosia, ipse dives operis, & laboris expers: Quodcunque homini accidit, liberè patiatur: Æquum esse putat, non reputat laboris quid sit. Persius.
O curvæ in terris animæ, & cœlestium inanes.
Ablativum sæpiùs habent quàm genitivum, truncus, oneratus, orbatus, orbus, dignus, indignus, viduus, vacuus, contentus, saucius, lapsus, miser, sanus: & plura si doctorum scripta diligenter evolveris. In sacris: Dignus est mercenarius mercede suâ. Captus oculis, auribus, pedibus, mente, membris, id est, carens horum usu, captus avaritiâ, amore, i. detentus. Captus amœnitate loci, i. delectatus. Quædam habent etiam ablativum mediante præpositione. Salust. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia, vacuos esse decet.*
Verba genitivum vel ablativum regentia.
Licitè genitivum vel ablativum regunt egeo atque indigeo: at reliqua hujus regulæ verba sæpiùs ablativum, ut impleo, compleo, saturo, abundo, potior, pendeo, lætor, &c. Id semper observandum est, ut oratio nostra varietate delectet citra affectationem. Sunt quæ variant constructionem: ut affluis, abundas amore, vel affluit, abundat tibi amor. Pub. *Negandi causa avaro nusquam deficit.* Participo te auro vel auri. Participo pœnam, id est in pœnâ fio particeps. Cicer. *Qui alteri exitium parat, hunc scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem.*
Dat patrium aut quartum *fastidio*, sed mage quartum.
Fastidio hanc rem nunc dicimus. Olim etiam fastidio hujus rei: Lucil. *Tristes, difficiles sumus, fastidimus bonorum.*
Sic plures antiquorum, teste Nonio.
REGULA DECIMA.
Dic *satago rerum*, patrium aut dantem *misereri*,
Sed mage vult patriũ. *Dominor* dat ritè dativum

In ſacris etiam patrium, velut *auxiliari.*
Grammaticæ leges plerumque Eccleſia ſprevit,
Tu vivendo bonos, ſcribendo ſequare peritos.

*S*atago exigit genitivum rerum. Terent. *Is quoque rerum ſuarum ſatagit.* Miſereor vult genitivum vel dativum, ſed meliùs genitivum. Huic ſynonymum miſereſco eoſdem petit caſus. Virg. 8. Æneid. *Arcadii quæſo, miſereſcite Regis.* Boet. *Dilige jure bonos, & miſereſce malis.* Ecl. 2. *Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.*

Miſereor tutiùs dicitur regere ſolùm genitivum, nam exempla pro dativo ſunt corrupta. Miſereor ſemper habet accuſativum, & differt à miſeror. Miſereri paſſivum affectum habet: eſt enim corde anxium, eſſe ex alicujus miſeriâ: Miſerari vero activum eſtque verbis, lachrymis, aut ope, dolorem, quem ex miſeriâ vel noſtrâ vel alienâ habemus, oſtendere. Ab illo fiunt miſericors & miſericordia; ab hoc miſerator & miſeratio: quæ nomina eodem modo diſtinguuntur. Cic. *Miſericordia eſt ægritudo ex miſeriâ alterius.* Sed ad rem. (*Dominor dat ritè dativum,* &c.) Dominor & auxilior dativum poſtulant, ut Sapiens dominabitur aſtris. Auxilior miſeris, in ſacris etiam cum genitivo leguntur: Quis dominatur tui in Diis Domine? Hier. in Eſaia. *In die ſalutis auxiliatus ſum tui.* Cæterum ſi rectè vivere velimus, ſanctos imitabimur, etiam indoctiſſimos; ſi venuſtè cupiamus ſcribere aut loqui, linguæ Latinæ peritos imitari ſtudebimus, licet Nerone pejores. Præter dictos caſus, Dominor etiam habet accuſativum mediante præpoſitione, aut ablativum. Cicer. *Fœlix ſenectus, ſi uſque ad ultimum ſpiritum dominabitur in ſuos.* *S*aluſt. *Fortuna in omni re dominatur.*

REGULA UNDECIMA.

Accuſo, damno, moneo, contraria *laudo*;
Criminis aut *pœnæ*, vel *laudis* habento ſecundum
Aut ſextū. Sed Valla dedit tantummodo ſextis,
Altero & ambobus, neutro, vel *utro,* vel *utroque.*

Verba accuſandi, damnandi, monendi, laudandi, & his contraria: excuſandi, abſolvendi, vituperandi, regunt genitivum vel ablativum criminis, pœnæ, admoniti, laudis, vitu-

perii. Omnia fermè genitivum frequentiùs habent quàm ablativum: demptis quinque ablativis, altero, ambobus, neutro, utro, utroque: per quorum genitivos hic loqui non licet, teste Valla: ut Utro accusatus es? Furti an homicidii? non utrius.

ACCUSANDI VERBA.

Accuso, incuso, ago, postulo, arcesso, insimulo, arguo, noto, defero, alligo, astringo, criminor, & similia: ut Accuso illum furti vel furto, incuso illum negligentiæ. Plaut. *Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet*. Cicer. *Ne quem unquam innocentem judicio capitis arcessas*. Terent. Si *herum insimulabis avaritiæ malè audies*.

Ovid. ------*Utinam temeraria dicar*;
Criminibus falsis insimulaße virum.

Terent. *Hic furti se alligat*. Plaut. *Furti se astringit*. Hier. *Qui alterum mendacii criminaris, desine ipse mentiri*.

EXCUSANDI VERBA.

Excuso, purgo, expurgo, me parricidii vel parricidio.

DAMNANDI.

Damno, condemno, multo, admulto, punio, plecto, convinco, redarguo. Ad accusationem vel damnationem pertinent etiam teneo, interrogo, cado, periclitor, perdo, do pœnas, satisdo, suspectum habeo: ut Qui sustulit rem sacram de profano: furtine tenetur? an sacrilegii? an utroque? Horat. *Damnatus longi Sisyphus laboris*. Cic. *Capite damnatos morte multavit*. Idem. *Si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine*. Idem. *Meipsum inertiæ, nequitiæque condemno*.

ABSOLVENDI.

Absolvo, libero, &c. ut Absolutus est parricidii vel parricidio.

MONENDI.

Moneo, admoneo, commoneo, commonefaceo te debiti. Livi. *Adversæ res admonuerunt religionum*. Commemoro pro admoneo, raro est cum genitivo.

LAUDANDI.

Laudo, miror, probo, commendo: ut commendo te pietatis aut pietate. Servius figuram Græcam hic esse putat.

Virg. Æn. 11. *Vir Trojane, quibus cælo te laudibus æquem?*

Justitiæne

Justitiæne priùs mirer, bellíne laborum? Id est causâ vel gratiâ justitiæ.

VITUPERANDI.

Uitupero, corripeo, reprehendo, increpo, increpito te negligentiæ malè gestæ rei.

APPENDIX.

Junge his interdum sextis & præposituram:
Et de causatum, crimen, quarto, admonitumque.

Ablativo hujus regulæ apponitur interdum præpositio: ut ago te repetundarum, repetundis, aut de repetundis, Cic. *Lex vetat eum qui de pecunis repetundis damnatus sit, in concione orationem habere.*

Ponitur interdum crimen in accusativo. Cic. *Inertiam accusas adolescentem.* Sic quoque admonitum, laus, vituperium, causatum. Ter. *Ridiculum est te istud me admonere, Clitipho.* Luc.-----*Littusque malignum excusat.* Eodem modo dicimus, Littus malignum causatur. Causatur morbos, id est in accusationem adducit.

Ovid. *Tunc agitur censura, & sic exempla parantur:*
Cum judex, alios quod monet, ipse facit.

REGULA DUODECIMA.

Verba volunt sexto pretium. Ponas sine fixo
In patrio *pluris*, *tanti*, *quanti* atque *minoris* :
Cum fixo in sexto. Raro quartum *valeo* vult.
Viliùs & *meliùs*, *pejùs* vel *cariùs emi*,
Valla negat recte dici per nomina posse.

Omne verbum, cujus actus aliquo pretio constat, potest regere post se nomen pretii, vel valoris in ablativo: Emi abs te equum decem aureis. Excipiuntur quatuor nomina, tanti, quanti, pluris, atq; minoris cum compositis tantilibet, tantidem, quantivis, & similibus, quæ sine substantivis in Gen: ponuntur: at cum substantivis in Ablativo: ut Quanti pransus es, aut quanto pretio? Quanticunque locabis præstaret domum vendere. Valeo huc pertinet: ut Tanti res valet quanti potest vendi. Aliquando hoc verbum regit pretium in accusativo. Varro. *Denarii dicti, quod denos æris valebant. quinarii quod quinos. Vilius, & melius,* &c. In quibusdam solum

solùm adverbialiter loquendum est, teste Valla. Ut Emo viliùs & meliùs, id est quod Barbari dicunt, pro meliore foro, Latini; Emo minoris, Emo pejùs aut cariùs, id est pluris.

Verba hujus regulæ.

Emo, comparo, mercor, vendo, venundo, distraho, væneo, loco, conduco, taxo, liceo, addico, metior, fœneror; paciscor, mutuor, sto, consto, sum, redimo, ædifico, impleo, calceo, doceo, ago, &c. *Emi tanti, quanti voluisti*: Pulchrè subauditur vendere.

Virg.

Hectoris exanimum corpus vendebat Achilles Auro ------

Terent. *Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas minimò, & si nequeas paululò, ac tanti queas.* Plin. de Phamph. Pictore. *Docuit neminem minoris talento, quam mercedem & Apelles, & Melanthius ei dedere.* Quanti stat, quanti constat, idem sunt. Senec. *Parvo fames constat, magno fastidium.* Livius. *Multo sanguine, ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit.* Terent. *Quanti est sapere,* id est valet, Plaut. *Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.*

ANNOTATIUNCULA.

Tanti, quanti, pluris, minoris, sunt hic substantiva, teste Lanc. Prætereo ejusmodi orationes, qualis est hæc Plauti. *Mortuus pluris pretii est quam ego.* Et Terent. *Meam herus operam deputat parvi pretii,* pertinent ad regulam quartam genitivi, & in posteriore subaudiendum est, *esse.*

Regula Decima tertia. De verbis æstimandi.

Æstimo, *curo*, *puto*, *facio*, cum *consulo*, *duco*,
Pendo, *habeo*, *refert*, *est*, *inter* & *est* bene jungo,
Ante dabunt dictos patrios; cum *plurimi* & *æqui*
Et parvi, *nihili*, *nauci floccique*, *bonique*,
Magni, *infiniti*, *majoris*, *maximi*, & *assis*,
Et minimi, *multi*. Quædam benè ponito sexto.

Verba æstimandi, ut æstimo, existimo, curo, puto, facio, consulo, duco, pendo, habeo, sum, & de quibus sequitur peculiaris regula, interest, ac refert, præter genitivos tanti, quanti, pluris, minoris, regunt etiam genitivos, plurimi,

æqui, parvi, nihili, nauci, flocci, boni, &c. quibus additur genitivus pili, & forsan plures. Pro quibusdam possunt habere ablativum: ut æstimo te assis vel asse. Existimo te magni vel magno. Valer. Max. *Magno ubique pretio virtus æstimatur.* Senec. *Data magno æstimat, accepta parvo.* Cicer. *Gloriosa sapientia non magno æstimanda est.* Exempla de genitivo. Terent. *Quid de me fiat, parvi curas.* Plaut. *Respicio vos nihili meam gratiam facere.* Nihili vel pro nihilo hunc habeo librum, i. contemno, non autem possideo. Plaut. *Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.*

Ovid.

Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis.

Boni consulo, id est in bonam partem accipio. Consulo te, id est consilium à te peto. Consulo tibi, id est do consilium. Consulo honori aut famæ, id est provideo.

Regula Decimaquarta.

Pauca recordandi, patriũ, qvartũve requirunt,
Ut *memini*, *memoror*, sic *obliviscor* habetur.

Verba memoriæ & oblivionis: ut Recordor, memini, memoror, deponens, reminiscor, recolo, obliviscor, regunt genitivum vel accusativum. Cicer. *Proprium est stultitiæ, aliorum cernere vitia, oblivisci suorum.* Virg. *Quisquis es amissos hinc jam obliviscere Graios.* Plaut. *Faciam ut hujus diei, locique, meique, semper mimínerit, qui mihi in cursu obstiterit.* Cicer. *Illud semper memento. qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit.* Memini pro mentionem facio, respuit accusativum, postulatque solum genitivum vel ablativum, cum præpositione de: ut Meminit tui, vel de te. Sic dices etiam recordor, cogito de hac re. Cicer. *Obliti salutis meæ, de bonis ac de liberis vestris cogitate.*

APPENDIX.

Huc pertinet, Venio in oblivionem, Venit in mentem illius diei, vel venit in mentem illi dies. Subit cogitationi, vel subit animum cogitatio. Fugit latet me hæc res, id est rem ignoro, aut non recordor. Lucanus per dativum ait: ---Tu mihi causam lates. *Cic.* Cui nostrum latere arbitraris. Vossius ait, lateo cum accusativo esse constructionem Græcam.

Regula Decima quinta.

Refert

Refert, *intereſt* & *eſt*, ſignans commoditatem,
Officiumve, petit quoſvis patrios, niſi ſeptem.
Refert, *inter* & *eſt*, *noſtraque*, *meaque*, referto,
Cum reliquis. Capiet *cuja* vel *cujus* utrumque
Eſt *noſtrum*, *veſtrumque*, *meumque*, *tuumque*, *ſuumq*;

Hæc tria verba, Refert, intereſt, & eſt; ad alicujus vel commoditatem vel utilitatem, vel officium pertinentia, regunt quoſvis genitivos, præter ſeptem primitivæ ſpeciei: Mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, noſtrum & veſtrum: pro quibus refert & intereſt, regunt ablativos, Meâ, tuâ, ſuâ, noſtrâ, veſtrâ, quibus jungitur cujâ. Eſt vero capit nominativos Meum, tuum, ſuum, noſtrum, veſtrum: ubi officium intelligitur.

Exempla de Genitivis.

Uxoris refert quid rerum gerat maritus noſſe. *Cicer.* Intereſt omnium rectè agere. *Idem.* Adoleſcentis eſt majores natu vereri. *Plaut.* Eſt miſerorum, ut malè volentes ſint, atque invideant bonis.

De Ablativis CUM INTEREST, & REFERT.

Terent. Tuâ quod nihil refert, percunctari deſinas. *Sueton. de Julio Cæſare.* Ferunt dicere ſolitum non tam ſuâ, quàm Reipub. intereſſe, uti ſalvus eſſet. Dices cujus, vel cuja intereſt.

De Nominativis CUM EST.

Cicer. Neque enim meum eſt contra authoritatem ſenatûs dicere. *Idem.* Tuum eſt conſulere temporibus & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis.

APPENDIX.

Intereſt & refert, habent etiam genitivos æſtimandi: videlicet, tanti, quanti, magni, parvi. In reliquis ſæpiùs habent vel nomina vel adverbia: Multùm, plùs, plurimùm, magis, minùs, parùm, paulùm, maximè, minimè, pauxillùm, nihil, aliquid, quid, & ſi qua ſunt ſimilia: ut Magni meâ intereſt. *Cic.* Permagni intereſt, quo tempore hæc epiſtola tibi reddita ſit. *Valer. Max.* Nihil intereſt an humi, an ſublimè putreſcam. Juven. *Plurimùm enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu Moribus inſtituas.*

Minimum

Minimùm intereſt, id eſt paululùm, Minimè refert, id eſt nihil. *Terent.* Quid tuâ (malum) id refert; reſpondet alter, magni. Malum eſt interjectio. Notandum eſt, hos genitivos addito ſubſtantivo in ablativum mutari. Juvenal.

------Parvo diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, aut quo gallina ſecetur.

REGULA XVI. *Pathetica.*

Pœnitet **&** ***tædet, miſeret, pudet,*** **&** ***piget,*** **optant Accuſativum patientem cum genitivo.**

Hæc quinque impersonalia activæ vocis, pœnetet, tædet, miſeret, pudet, pigêt, regunt accuſativum patientis rei, cum genitivo agentis, cujus loco interdum habent verbum infinitum: ut Pœnitet me peccati vel pœnitet me peccaſſe. Tædet me vitæ vel tædet me vivere. Miſeret CHRISTUM peccatoris. *Plaut.* Aliorum te miſeret, tui, nec te miſeret, nec pudet. Sub miſeret, comprehenditur miſereſcit, ſub aliis, compoſita: ut pertædet, diſpudet. *Col. de Euripide* Matrimonii pertædebat.

Cor. Nepos in vita Attici. Nuſquam ſuſcepti operis eum pertæſum eſt. Sic in præteritis dicimus. Miſertum eſt Virginis, puditum eſt Concilii. *Cic.* Pertæſum eſt levitatis.

REGULA XVII.
De tenus ac obiter de aliis præpoſitionibus.

Sæpe ***tenus*** **patrium numero præeunte carentē,**
Aut res ſignantem geminas, vult Valla tenere.
Vult ***ad*** **cum ſociis quartū, velut** ***abſque*** **Latinū.**
Sub, ſuper, in, ſubter, **caſui junguntur utrique**
In vario ſenſu: facilis docet omnia proſa.

Tenus præpoſitio petit genitivum pluralem, res geminas, ut Valla notavit, ſignificantem, aut numero ſingulari carentem, alioqui vult ablativum, in plurali etiam quandoque genitivum. Exemplum ubi res ſunt geminæ.

Virg. 3. Georg.------*Optima torvæ*
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix.
Et crurum tenus à mento palearea pendent.

De Genitivo ſingulari numero carente. Cœlius. *Illi rumores,*

mores, *de comitiis Transpadanorum, cumarum tenus caluerunt.* De secundo genitivo. *Olympus attolitur nubium tenus.* De ablativo singulari. Virg. 2. Æneid ---- *Lateri capulo tenus abdidit ensem.* Hinc hactenus, quatenus, eatenus, quæ plerumque adverbia sunt. (*Vult ad cum sociis*) Ad apud, &c. quæ simul triginta & una sunt; regunt accusativum casum: ut ad patrem. Apud villam, His valla versus addit, quod semper postponitur. Salust, *Ægyptum versus.* (*Velut, absque Latinum*) A, ab, abs, quæ sedecim sunt, regunt Latinum, qui ablativus est: ut A domo, ab homine. (*Sub, super, in, subter*) quatuor sunt præpositiones accusativum vel ablativum regentes: In, sub, super, & subter, sed plerumque in diverso sensu: ut sum in templo: vado in forum. Utrique interdum casui serviunt clam, & procul, præpositionibus annumeranda. Curt. *procul muro.* Liv. *procul muros.* Sed hæc sine casu adverbia sunt.

Ovid.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti,
Virg. *Clam ferro incautum supera.*

De præpositionibus accusativum petentibus.
Annotatiuncula.

AD & APUD *differunt.*

Ad tam motûs, quam quietis verbum admittit: ut Samnites ingrediuntur ad Curium sedentem ad focum. Apud, solùm quietis verbum desiderat, aut saltem non exterioris motûs. Sedeo apud Petrum. Ad pro circiter ponitur. Cic. *Dormit ad horas tres.* Elegantiam habent. Omnes ad unum periêre: i. nullo excepto. Ad amussim, ad unguem, i. exactissimè, exquisitâ diligentiâ, Ad tempus. Item ad habet vim similitudinis. Terent. *Pulchra quidem, sed nihil ad nostram hanc.*

APUD & PENES *distinguuntur.*

Apud, locum aut personam innuit: ut vidi te apud forum. Cœnavi apud Pompeium. Penes personam, dominium, ac potestatem. Janus apud Ovidium.

Me penes est unum vasti custodia mundi. Horat.
Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi.

ANTE & POST.

Præpositure, sint sine casu, adverbia sunto.

Ante & post, ubi accusativus abest, adverbia sunt, pro antea, postea. Virg. *Longo pòst tempore venit.* Et dicimus, multò antè vel pòst, aut antè vel pòst multò. Item pòst paulò, vel paulò pòst, contra indoctos. Sic omnes præpositiones absente casu adverbiascunt. Persius. *Nec te quæsiveris extrà.* Plaut. *Veniam adversùm tempori*, id est, obviam tempesttivè.

CIS, CITRA, *cum contrariis.*

Cis & citra quibus opponuntur trans, & ultra, nihil differunt, nisi quod cis antiquius est magísque nominibus montium vel fluviorum præponitur. Cis Rhenum. Et cis aliquando pro ultra ponitur, teste Marcello.* Citra ponitur etiam pro minus quàm: Ultra pro magis quàm. Citra naturæ leges. i. minus quàm naturæ leges patiantur. Item citra, i. sine. Senec. *Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem.*

CIRCA, CIRCITER, ERGA.

Circa ad locum & tempus refertur: ut Circa forum: Circa horam tertiam. Circiter ad tempus numerúmque. Plaut. *Redito huc circiter meridiem.* Curt. *Circiter duo millia desiderati.* Aliquando etiam locum dicit, & sæpè adverbiascit, ut Lapis circiter in medio quadratus. Erga ad personam refertur. Corn. Tacit, *Erga populum superbum. Erga principem contumeliosum.* Quint. *Pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, & arma iis ingenita quædam; & ex obvio fere victu; circa quæ omnia multus hominibus labor est.*

INTER, INTRA & EXTRA.

Inter innuit medians aliquid. *Ut multa cadunt inter calicem supremaque labra.* Intra, certos loci, temporis, aut alterius rei fines demonstrando significat, habetque contrarium extra. Horat. *Iliacos intra muros pugnatur & extra.* Intra triduum: Intra famam, id est citra opinionem.

INFRA, SUPRA, SUPER, SUBTER.

Infra ad dignitatem refertur: ut Infra omnes infimos es homo nequissime. Et ad locum, habetque relativum supra, cum quo res plerunque significat interjecto spatio distantes.

Ut

Ut Infra tectum es, si foco assideas. Nubes supra nos pendent. Virg.

Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hyememque ferens & inhorruit unda tenebris.

Eodem modo subter & super relativa sunt, nec distantiam, quemadmodum illa, sed rerum contactum frequenter significant. Sedeo super lapidem. Urinator mirificè subter aquam durat.

JUXTA, PROPE.

Pro eodem accipiuntur Juxta & Prope: Juxta autem adverbium apud eloquentissimos sæpè significat similiter, eodem modo, æquè. *Salust.* de inertibus. Eorum ego vitam, mortemque juxta æstimo, quoniam de utraque siletur. *Erasmus Roterodamus.* In aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid deceat, quid non, juxta videmus.

OB & PROPTER.

Causam innuunt ob & propter: veluti, ob virtutem amandus es. *Cic.* Is denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Propter etiam prope significat, virg.

Et viridi in campo templum de marmore ponam,
Propter aquam ———— Ob interdum significat ante. Livius. *Fœda mors ob oculos erat.*

SECUNDUM, SECUS.

Caper negat rectè dici, Secus te sedeo, quia dicendum esset, inquit. Secundum te sedeo. variat autem secundum significationem. *Cic.* Proximè autem & secundum Deos, homines hominibus maximè utiles esse possunt. Hic post & quasi secundo loco significat: Item secundum te judico: id est pro te. Secundum quietem tua imago mihi obversata est, id est in quiete. vulgare est secundum: id est juxta Solonem cecinit Ovidius.

———— *Ultima semper*
Expectanda dies homini est, dicique beatus,
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

USQUE.

Usque sine aliâ præpositione appositâ, gaudet plerumque

postponi: ut Romam usque iter habeo. Additâ præpositione transit in adverbium. *cic.* Usque ad Numantiam misit. *Terent.* Ex Æthiopiâ est usque hæc. Usurpatur etiam quando adverbium est pro assiduè, diu, semper. *Plaut.* valuistin' usque?

Præpositiones ablativi casus.

A, ab, abs, idem significant, sed à solùm consonantibus jungitur, ab vocalibus: rarò autem aliis consonantibus quàm consonanti i. & liquidis l. & r. ut ab Jove, ab lege, ab Rege.

Ovid. 1. Met. *Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus:*
Non socer à genero; fratrum quoque gratia rara est.

Abs, vix aliter utimur quam ante q. & t. Abs Tito.
Terent. *Abs quovis homine beneficium accipere gaudeat.*
A vel ab, pro post, ornatè ponuntur. Pers.
O Jane, à tergo quem nulla Ciconia pinxit.

Item defensionis vim habent. Cic. *M. Cælius talis Tribunus fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem, turbulentamque dementiam à Senatu, & à bonorum causâ steterit constantius*, i. pro partibus Senatûs, pro partibus bonorum. Ab epistolis, à rationibus dicitur, qui epistolis, rationibus preæst. A secretis, i. secretarius, secretorum socius. Ab re, i. præter rem, indecens, inutile. Liv. *Haud ab re duxi.*

CUM.

Cum aliquando Euphoniæ causâ necessariò postponitur: ut Mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum. Quacum, quocum, quibuscum: melius quàm, cum qua, cum quo, cum quibus. Cic. *Quid dulcius, quàm habere, quocum omnia audeas loqui, ut tecum?*

CORAM. CLAM. ANTE. PALAM.

Coram, adversatur clam, & differt ab ante. Nam ante oculos, longè intelligi potest: Coram, proximitatem significat. Terent. *Quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum?* Differt quoque coram, à Palam. Coram ad certas personas pertinet, Palam ad omnes, & fere adverbium est, pro manifestè. Teren. *Quæ vera audivi taceo & contineo optimè. Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuò palam est.*

DE. E. EX.

De ab à differt. De materiam signficat, quemadmodum è, & ex, à nunquam materiam innuit, sed efficientem causam. Plin. *Liber tam ineptus, ut non de puero sed à puero factum esse credas.* Diversa sunt igitur. Hoc de te audio & hoc audio à te, hîc enim est causa efficiens; illic materialis. E. & ex idem significant, sed è consonantibus tantum jungitur: ut è jure è Republicâ, id est ad utilitatem Reipublicæ. Ex tam vocalibus quam consonantibus: ut ex arbore, ex dignitate, i. pro dignitate, vel ad dignitatem. E renibus laboro, id est, morbum patior in renibus Ex sententiâ aliquid habere, id est ad votum & desiderium nostrum. Ex composito, id est deditá operâ. Ex Amphitheatro venit, qui in illo fuit. Ab Amphitheatro venit, qui in loco fuit illi proximo.

Comes facundus in viâ pro vehiculo est, i. vehiculi vice. Sto pro turribus, pro Joanne, i. ut turres, ut Joannem defendam. Pro viribus, pro virili, vulgaria sunt. Pro foribus, id est ante fores. Pro rostris, pro tribunali, id est in rostris, in tribunali.

P R Æ.

Præ significat ante, ut præ cunctis est honorandus. Et propter vel ab. Terent. *Ut sit misera præ amore!* Comparationis præterea vim habet. Idem. *Hic ego illum contempsi præ me.*

Præpositiones communes.

IN *cum Accusativo.*

In accusativo servit, quoties motum ad quamvis rem significamus, motum dico, vel manifestum, ut redeo in gratiam.

Horat. *In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.*

Vel latentem, ut *Avaritia crescit in horas.* Martial.

Hesterno fœdere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit. Virg.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

In pro contra ponitur: ut Crudelis in privignos noverca Invehor in æmulum. virg.

Quid meus Æneas in te committere tantum!
Quid Troes potuere? Item in pro erga. Idem.
----*Imprimis Regina quietum,*

Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.

IN & SUB *cum Ablativo.*

Cum in loco, aut aliâ re, quid fieri significamus, in & sub ablativum postulant: ut versor in foro, sub dio, sub nocte. *cic.* verum decus in virtute positum est, quod maximè illustratur magnis in Rempub. meritis.

virg.

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit.------ Ovid.
Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experienda fides. In pro inter ponitur. virg.---*cadit & Ripheus justissimus unus,*
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

SUB *cum Accusativo.*

Sub accusativum habet, ubi motus fit ad rem: ut Eo sub tectum. virg.-------*Postesque sub ipsos, Nituntur gradibus.*----

Item sub pro paulò antè, vel circa. *Erasmus.* Sub cœnam paulisper inambula, cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam, ac dignum memoriâ legito. Et pro statim post: ut sub hæc verba. *cicero Planco.* Sub eas statim recitatæ sunt tuæ.

SUPER & SUBTER *cum Accusativo.*

Super quando adversatur præpositioni subter, cum accusativo sæpiùs legitur: ut Super aëra æther est. Similiter quoties ultra significat: ut virg.

-----*Super Garamantas & Indos,*
Profert imperium.------

Et præter. *Sueton.* Super cætera flagitia. Sic subter sive quies fuerit, sive motus, accusativum fere semper habet: Poëtice interdum ablativum. virg. 9. Æn. *Subter densa testudine,*

SUPER *cum Ablativo.*

Super pro de positum, habet ablativum. virg.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Præterea pro in aut propter. virg. *Fronde super viridi.* Non moveor super hac re, i. propter hanc rem.

REGULA XVIII.

De genitivo, & obiter de aliis casibus pro adverbiis loci.

Quæstio si fiat per ubi, nomenque prioris.

Sit

Sit numeri & propriũ, ceu primæ sive secundæ:
In patrio dabo, quando locum designo minorẽ
Militiæ, *belli*, atque *domi*, sic ponis *humique*,
Addimus interdum dictis, *terræque*, *togæque*.

Propria nomina pagorum, & oppidorum (quæ minora loca dicuntur) primæ vel secundæ declinationis, singularis numeri, & appellativa, Militiæ, belli, domi, humi, terræ & togæ cum quæstio fuerit per ubi, apponuntur verbis vel participiis in genitivo; pro adverbiis loci: ut si quæratur: ubi est Papa? optime respondebis, Est Romæ. Ubi studuisti? Studui Gandavi. Ubi est segnis? Domi. Ubi agit temerarius? Militiæ. Sic poma jacent humi. Condo corpus terræ, i. in terra. Gratus principi, belli, togæque. Hoc per ablativum dicere posses. *Plin.* Dubium est togáne an bello præstantior fuerit. Humi construitur etiam cum verbo motûs ad locum. virg.

Nec prius absistit quam septem ingentia victor,
corpora fundit humi.----------Idem.---------*procumbit humi bos.*

Si ternæ nomen fuerit, numerive secundi,
Cum *ruri* dabitur terno aut sexto, mage terno.

Nomina propria oppidorum aut pagorum tertiæ declinationis, aut pluralis numeri, cum quæstio fiet per ubi, ponuntur pro adverbiis loci in dativo vel ablativo: elegantius autem in dativo cum appellativo ruri: ut Terentius natus est Carthagine, vel natus est Carthagini. Tarquinius vixit Gabiis. Studes Athenis. Ruri philosopharis. Dices & rure per ablativum. *Liv.* Scipio vitam Linterni egit sine desiderio Urbis: morientem rure, eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt. Per dativum locutionem esse lepidiorem innuit Servius: nec desunt apud Latinos scriptores testimonia. *cicer.* Convento Antonio Tiburi, quæ Romæ, quæque Carthagini acta.

APPENDIX.

Non solùm pro adverbiis localibus quidam dativi ponuntur, sed inveniuntur etiam pro adverbiis temporis positi, aut veriùs adverbia sunt: ut tempori, luci, vesperi, quibus addi potest sorti, i. per sortem. virg. 2. Georg. de apibus loquens,

Sunt

Sunt quibus ad portas cecidit custodia forti.

Terent. Nunquam tam manè egridor, neque tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodere.

Tu sextum casum., si quando per *unde* rogaris,
Aut *quâ* responde. *Si* per *quo*, ponito quartum
In propriis: quibus usq; cupit *rus* cum *domus addi.*

Nomina propria oppidorum, aut pagorum, ubi quæstio fieret per unde, aut per quâ, ponuntur pro adverbiis loci in ablativo sine præpositione, cum duobus appelativis rus & domus. Unde venis? *Venio* Ramâ. Tibure, domo. Terent. *Timeo ne pater jam rure redierit.* Quâ ibis Romam? Coloniâ, Sed hic per præpositionem sæpius loquuntur propter Amphibologiam vitandam: ut per Coloniam proficiscor Romam versus: (*Si per quo ponito quartum*) Nomina propria oppidorum vel pagorum, ubi quæstio fieret per quo, ponuntur sine præpositione in accusativo, cum appellativis rus & domus: ut Quo vadis? vado Gandavum, Brugas, Parisios, Terent. *Ego cum filio rus ibo,*

virg. *Ite domum saturæ, venit Heseperus, ite capellæ.*

Barbarus haud fies apponens præposituras.

*S*i quis dictis nominibus Præpositionem interdum adjiciat, non censebitur Barbarè locutus. Quintil. *In domo furtum factum est ab eo qui domi fuit.* Liv. *Legati ab Ardeâ veniunt.* Cic. *Ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur.* Maximè autem uti licet ad, ubi locum proximum significamus, ut Hostes venerunt ad Gandavum, i. in locum Gandavo vicinum.

APPENDIX.

Accedentibus adjectivis, vix abesse potest præpositio Propter. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.*

Excipiuntur meus, tuus, suus, noster, vester, & alienus. Dicimus enim: sum domi meæ, tuæ, &c. Cic. *Malo esse cum timore domi meæ, quam cum periculo domi alienæ;* dicendum est igitur, versor in domo amplâ, magnificâ, regiâ non autem versor domi amplæ, magnificæ, regiæ. At Livius ait: *Capuam flectit iter luxuriantem longâ felicitate ac indulgentiâ fortunæ.* Sic & alii interdum. Ovid. *Atque aliquis doctas jam nunc eat,*

eat, inquit, Athenas. Eodem quoque modo majorum locorum nomina sine præpositione adverbialiter Posita invenies, licet aliter Grammatici præcipiant, ut subnotabimus,

virg. 1. Æneid. *Italiam fato profugus, Lavinaque venit Littora.---.*

Annotatiuncula generalis.

Diximus ubique propria oppidorum & pagorum nomina, quia proprijs aliorum locorum, ut Regionum, Insularum, Montium, Fluviorum, præter dicta, appellativis omnibus adhæret præpositio, sive actio fiat in loco, de loco, per locum, seu denique ad locum. Plancus Ciceroni. *Ab Isara castra movi, pontem tamen quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis reliqui.* virg. 1. Æneid.

Per varios casus, per tot discrimina rerum.
Tendimus in Latium. Horat.
Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

De Adverbiis localibus.

Ubi, quò, quà, unde, quorsum, & quousque, de loco quærunt, si nec relativè, nec infinitè ponantur. Quæcunque autem nomina ad hæc prima quatuor diximus respondere, eadem ad quorsum, & ad quousque in accusativo reddi possunt, adjecto versus, quando per illud, & usque quando per hoc facta est quæstio: ut Quorsum tenes iter Ænea? Carthaginem versus. Quousque te fata trahunt? In Italiam usque.

Hoc tamen sæpè intelligitur, teste vallâ: Sed de nominibus satis. Tribuuntur etiam singulis sua adverbia, de quibus nunc agendum est.

Adverbia in loco.

Ad ubi respondent hìc, illìc, istìc, ubi, alibi, alicubi, ibidem, ubique, ubilibet, ubivis, sicubi, necubi, nuncubi, passim, vulgò, inibi, usquam, nusquam, peregrè, alicubi, intus, foris, superiùs, inferiùs, suprà, infrà.

Adverbia ad locum.

Ad quò respondent, Huc, illuc, istuc, intrò, foras, eò, eòdèm, aliò, aliquò, quoquò, quolibet, quovis, quodam, quopiam, siquò, nequò, ultro, citrò, utròque, neutrò, peregrè, usquam, nusquam, quocunque, suprà, infrà vel superiùs, inferiùs: invenies interdum, hòc, istò, illò, pro huc, istuc, illuc.

Ad-

Adverbia per locum.

Ad quà respondent, Hàc, illac, istac, usquam, nusquam intus, foris. eà, eàdem, quàqu à. quacunque, quaque, qualibet, siquà, nequà, aliquà, alià, utràque & rectà. Terent. *cur non rectà introiisti*? Cic. *rectà venit ad me.*

Adverbia de loco.

Ad unde respondent, Hinc, illinc, istinc, intus, foris, utrinque, undique, cominus, eminus, intrinsecùs, extrinsecùs, utrinsecus, forinsecus, nusquam, inde, peregrè, supernè, infernè, stirpitus, humanitus, radicitus, cœlitus, unde-unde, undecunque, undelibet, aliunde, alicunde, sicunde, &c. Dehinc non loci, sed ordinis adverbium est, pro posthòc. Abhinc temporis est, pro ab hoc tempore.

Adverbia locum versus.

Ad quorsum respondent, Horsum, istorsum, illorsum, sursum, deorsum, antrorsum, dextrorsum, lævorsum, seorsum, sinistrorsum, retrorsum, aliorsum, quoquoversus, vel quoquoversum.

Adverbia usque ad locum.

Ad quousque respondent, Hucusque, istucusque, illucusque, hactenus, &c.

Annotatiuncula generalis.

Hìc, illic, isthìc, &c. eodem modo differunt, quo pronomina hic, iste, ille. Hic pronomen pertinet ad primam personam, & me significat, aut meum, aut quod est ubi ego sum vel habito, aut de quo loquor. Iste refertur ad secundam, & significat te, aut tuum, aut quod est, ubi habitas, vel de quo loqueris. Ille ad tertiam pertinet & neutrum prædictorum significat, sed tertium quiddam. Plaut. *Quis est quem videmus venientem pannosum ac squalidum*? *Illene est noster Syrus*? Is refertur ad absentem. hìc adverbium significat in loco ubi ego sum: isthic in loco ubi tu es. Illic in loco, ubi est de quo loquimur. Huc, id est ad hunc locum. Isthuc. id est ad istum locum in quo tu es. Illuc, id est ad illum locum in quo nec ego sum, nec tu. Sic dices de aliis.

Ille quidem laudat, contemnit & *iste* vicissim.
Respicit *hic* propius, sed quod magis *ille* remotũ

Ille in oratione emphasin sæpè habet, & ob eminentiam, rem

rem quam omnibus notam significare volumus, denotat. Alexander ille magnus. Conjungitur etiam alioui personæ *Ille ego qui quondam.* Virg. *Tune ille Æneas?* Iste cum rem aliquam cum stomacho aut contemptu indicamus. Teren t. *Iste Cherea, iste Ephebus frater Phædriæ.* Sic cum ad duo ante dicta referuntur hic & ille, hic ad propius & posterius, ille ad prius & remotius refertur. Auson.

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem sustulit ille patrem.

Aliquando fit contrà. Ovid. lib. Trist. El. 2.

Quocunque aspicio, nihil est nisi pontus, & æther.
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Et Livius. lib. 30. *Melior certiorque est tuta pax, quàm sperata victoria: hæc in tuâ, illa in Deorum manu est.*

REGIMEN DATIVI.

REGULA PRIMA.

Fixa dabunt ternum, substantivo mediante
Verbo: quod per *habet* contingit sæpè resolvi.

Omne nomen substantivum potest regere dativum mediante verbo substantivo, quod exponitur per *habeo*: ut Mihi liber est, tibi pecunia, id est ego librum habeo, tu pecuniam. Virg. *Sancta probis pax est.*--- Idem.

Ludite securè quibus æs est semper in arcâ.

Dic etiam Mihi benè est; id est, benè habeo, benè valeo, Sunt qui dicunt hujus regulæ dativum a nomine regi mediante verbo substantivo. Alij dicunt regi ab ipso verbo. Suum cuique relinquo judicium.

REGULA SECUNDA.

Ternum pro quarto aut sexto cum præposituris
Ponimus, it *clamor cælo*, pro more poetæ.
Cur tibi despicior? Nunc omnibus itur ad aurum.

Dativus ponitur sæpé pro accusativo vel ablativo cum præpositione: ut *It clamor cœlo.* i. ad vel in cœlum. *Inferretque Deos Latio.*----i. in Latium. Despicior tibi, i. â te. Curritur omnibus ad aurum, i. ab omnibus. Tu es mihi visus. Pub. *Mora omnis odio est, sed facit sapientiam,* *Gemini*

Gemini Dativi.

Sunt quædã geminos verba admittentia ternos.

Sunt quæ præter dativum antedictæ regulæ alium admittunt dativum: ut Filia est mihi curæ. Sum tibi auxilio, præsidio, consilio, commodo. Ter. *Sunt hæ tibi nuptiæ cordi!* Horat. *Nec timuit sibi ne vitio quis verteret olim.*

Sic do tibi hanc rem doti, vel dotem. Sum tibi documento vel documentum. Plaut. *Est ager hic nobis sub urbe quem dabo dotem sorori.* Idem. *Nemo id probro ducit Alomenæ.* Cic. *Habeat me sibi documento;* i. meo exemplo faciat.

REGULA TERTIA.

Acquisitivè si ponas verba, dativum
His dato. Communis fermè omnibus esto
dativus.

Omne verbum acquisitivè positum regere potest dativum rei acquirentis; in cujus honorem, vituperationem, utilitatem, damnum, lætitiam, jucunditatem, favorem, petitionem & similitudinem, aliquid fieri significamus. Doce mihi prolem. Cic. *Non omnibus dormio.* Virg.

----it hasta Tago per tempus utrumque. Idem. Æn. 2.
----ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ. Pers. ad desidem.
*----tibi luditur, affluis amens, Contemnere.----*Horat.
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Ovid.
Casus ubique valet semper tibi pendeat hamus:
Quo minimè credis, gurgite, piscis erit.

Cum dativo accusativum regentia.

Hæc casum ternũ cum quarto verba requirunt
Comparo, *do*, *reddo*, *jubeo*, contraria *narro*,
Ascribo, *mitto*, *oppono*, *promittóque*, junge
Subjugo cum varijs, quæ lectio multa docebit.

Decuplicia verba dativum cum accusativo regunt. *Primò, verba comparandi.* Comparo, compono, confero, assimulo, accomodo, æquo, exæquo, adæquo, postpono, posthabeo, antepono, antefero: ut comparo Virgilium

Homero

Homero: vel ablativum, cum Homero. Horat.

Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat,
Sic veteres ita miratur laudatque Poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.

Cic. ad Lepid. Hoc esse animo scito omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Confero te Ioanni, i. comparo. Confero tibi vel in te beneficium, id est do. Confero me ad villam, i. eo.

II. *Dandi vel reddendi.* Do, dono, impertio vel impertior, partior, impendo, divido, distribuo, præbeo, lego legas, exhibeo, concedo, mutuo, commodo, fœneror, stipulor, adhibeo, adjicio, adjungo, admoveo, addo, & similia. *Reddendi:* Reddo, restituo, resigno, retribuo, rependo, repono, refero, resolvo, &c. ut par pari refero. Plaut. *Do tibi operam, si quid est quòd me velis.* Horat. *Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina vitæ tempora dij superi?* Dicimus, dono tibi equum: & dono te equo. Dono te civitate, i. efficio te civem, impertio vel impertior tibi salutem; vel impertior te salute.

III. *Jubendi & prohibendi.* Jubeo, præcipio, mando, impero, injungo, committo, edico, &c. *Prohibendi* verò, prohibeo, nego, denego, interdico, &c. Jubeo tibi hanc rem: & aliquando jubeo te hanc rem cum duobus accusativis. Cicer. *Non quia aliquid juberem,* subaudiri videtur *facere*. Prohibeo, interdico tibi domum, vel prohibeo, interdico te domo. Plaut. *Damna multa mulierum me uxore prohibent.* Interdico sæpius invenies cum dativo & ablativo: ut interdico tibi domo meâ. Per eosdem casus & impersonaliter lepidè loquimur. Cic. *Malè rem gerentibus patribus, bonis interdici solet.* Passivè dices interdicor aquâ aut igne, aut aqua aut ignis interdicuntur mihi: huc pertinet tempero, & moderor. Plaut. *Linguæ tempera.* Temperor iram, & ab irâ: moderor tibi & te. versus.

Interdico tibi carnem vel carne latinum est.

IV. *Nunciandi, Indicandi, declarandi.* Indico, nuncio, declaro, annuncio, insinuo, manifesto, revelo, recludo, refero, patefacio, aperio, monstro, ostendo, significo, lego, interpretor, suggero, dico, prædico, exprimo, narro, enarro, memoro, recenseo, recito, repeto, refero, respondeo, fari, loqui, &c. Indico tibi veritatem: primæ conjugationis se-

cundam syllabam corripit. Indico ventri bellum; i. denuncio, tertiæ, & secundam producit. Dico tibi diem; id est tempus constituo, refero tibi hanc rem; i. narro. Refero ad te; id est in consultationem fero. Quintil. *Non retulit ad matrem, non propinquos consuluit, non amicos. De his referam ad Senatum* potius quàm, *hæc referam ad Senatum*. Refero tibi acceptum; id est fateor me accepisse abs te. Cicer. *Vitam acceptam refert clementiæ tuæ.* Respondeo quæstioni & ad quæstionem. Structuram perpendiculo, vel ad perpendiculum respondere oportet; id est convenire. Virg.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ; id est, satisfacit.

V. *Vendicandi.* Vendico, ascribo, usurpo, occupo, addico, acquiro, adipiscor, &c. non idem, sed simile quid significantia: ut vendico mihi hunc librum: Ascribo tibi honorem.

VI. *Mittendi.* Mitto, transmitto tibi literas. Sæpiùs mitto ad te, scribo ad te, quàm tibi dicimus. *Legavit Rex ad nos decem Oratores.* Destino tibi literas, promitto, rarò legitur, sed propriè significat assigno, delibero, constituo.

Virg. *Me destinat aræ.*

VII. *Opponendi.* Oppono, objicio, offundo, &c. Cicer. in Sallust. *Ego meis majoribus virtute mea præluxi: Tu tuis, vitâ tuâ, quam turpiter egisti; magnos offudisti tenebras: quare noli mihi antiquos viros objectare.*

VIII. *Promittendi* spondeo, despondeo, promitto rogatus, polliceor ultrò, pollicitor, recipio: ut Redde quæ coram recepisti mihi; i. promisisti. Recipio te, notum est. Do tibi fidem; i. sanctè promitto: Habeo fidem; i. credo.

IX. *Verba Subjugandi*, subjicio, submitto, supero, debello: ut Rex subjugavit sibi hostes. Horat.

--Mihi res, non me rebus submittere conor.

X. *Varia verba*, de quibus non est certa regula, dativum & accusativum postulant: ut Minor, interminor, debeo, invideo. Plin. *Neque ego, ut multi, invideo alijs bonum, quo ipse careo.* Debeo tibi vitam. Assuesco pro assuefacio: nam aliòqui solùm dativum habet. Quint. de puero. *Non assuescat nedum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit.* Suadeo, persuadeo. Plaut. *Odi ego aurum, multa multis sæpè suasit perperam.* Impono urbem monti. Impono tibi; i. decipio te.

Com-

Commendo te Regi; i. amicè committo. Commendo te apud Regem, i. laudo, credo, fido, confido, committo. Terent. *Ah scelestè! ovem lupo commisisti*. Dico etiam fido, confido hac re. Formido, metuo, timeo te, ne quid mali mihi facias. Publ. *Inimicum quamvis humilem docti est metuere*; formido, metuo, timeo tibi, ne quid mali tibi contingat; ut *Metuo tibi infortunium.*

Annotatiuncula generalis.

Quemadmodum dativus sæpè ponitur pro accusativo aut ablativo cum præposione, ita vicissim qnandoque accusativus aut ablativus mediante præpositione, verbis adhæret loco dativi: hinc variam constructionem multa verba sortiuntur: ut Loquor tibi, vel ad te, vel loquor tecum. Misceo aquam vino, vel cum vino. Nitor hastæ, vel hastâ, vel in hastam, sed peculiare est. Nitor ad rem. Fabius. *Altiùs ibunt qui ad summa nituntur.* Huc plurima sanè pertinent verba, quæ diligenti lectione observanda ac usu, qui ubique multùm potest, discenda censeo.

Verba dativum ut proprium casum regentia.

Tertius est verbis proprius natis, *fore*, *sum*, *fit*,
Atq; manente *facit*: Poscunt hunc sæpè per *ob*, *con*,
Ante, *sub*, *inter*, *ad*, *in*, *post*, *præ*, conjuncta: Quibus do
Occurro, *faveo*, *studeo*, *medeorque* & *adulor*,
Auxilior, *famulor*, *noceo*: sed dat *juvo* quartum.
Pareo, *præsideo*, *pugno*, *cum parcere*, *grator*.
Quæque frequenter erunt impersonalia junge
Contingit, *restat*, *placet*, *evenit*, *accidit*, & *fit*,
Sufficit, & *constat*, *libet*, & *liquet*, & *dolet*, adde
His vacat, & *conducit*; & *expedit*, & *licet* atque
Convenit & *præstat*, sed dicito, *pertinet ad me*:
Attinet & *spectat* rectè conjungimus isti.
Multa regunt ternum, quibus haud est regula certa.

Dativum ut proprium casum regunt verba undevigecuplicia

Primò. Composita à Fore, dativum sibi proprium exigunt: ut Spero hæc mihi profore. Utinam Joannes adforet nobis. Cic. Sulpitio. *Major mihi ratio adfore nulla potest, quàm conjunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum.*

II. Composita à sum: ut Adsum, desum, obsum, prosum, absum, insum. Publ. *Luxuriæ desunt multa, avaritiæ omnia.* Asin. Pollio. Cicer. *Neque deesse, neque superesse Reipublicæ volo;* id est superstes esse. Supersum labori; i. vinco laborem. Quædam pro dativo vel accusativum vel ablativum additâ præpositione sortiuntur. Dicimus enim, adsum pugnæ, adsum in pugnâ vel adsum ad pugnam, proinde puer fac memineris jam datæ annotatiunculæ.

III. Composita à *Facio* & *Fio*: ubi facio non mutat a in i: ut Satisfacio tibi, satisfit tibi. Malefacio, benefacio patri. Sallust. *Pulchrum est benefacere Reipublicæ.* Brut. Cic. *Cui re gratias vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri.*

IV. Cum præpositionibus quibusdam composita. verba plurima cum his præpositionibus, Ob, Con, Ante, Sub, Inter, Ad, In, Post, Præ composita, dativum postulant.

OB. Occumbo, obluctor, obrepo, obgannio, obmurmuro, occino, abturbo. Virg.---*in utrumque paratus,*

Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Idem.---*genibusque adversæ obluctor arenæ.*

CON. Condormio, consono, colludo, convivo. Commorior tibi, vel tecum. Cic. *Omnis oratio moribus consonet.* Terent. *Ex Andro commigravit huic viciniæ.* Et nomina quædam à con composita, dativum habent: ut concolor corvo, cognominis Paulo.

ANTE. Antecello, antecedo, anteeo, antesto, anteverto illi vel illum doctrinâ, Cic. pro Arch. *Antecellere omnibus ingenij gloria contigit.* Plaut. *Virtus omnibus rebus anteit.* Terent. *Miror ubi ego huic anteverterim;* i. hanc præcesserim. Sueton. in Aug. *Magnificentia omneis antecessit.*

SUB. Succedo tibi, subjicio, subjaceo, suboleo; ut pecunia fortunæ subjacet. Virg. *Nostris succede penatibus hospes.* Plaut. *Subolet jam uxori quod ego machinor.*

INTER. Interfero, intersono, intervenio, intersum, intermisceo, intermico: ut Lupus intervenit fabulæ. Claud.

Rutilum squamis intermicat aurum.

AD. Arrideo, acclamo, asto, acquiesco, assideo, adhæreo, appropinquo, allabor, admolior, adigo: ut Lucretia adegit cultrum cordi. Horat. *Parcus ob hæredis curam, nimiumque severus; Assidet insano.* virg.--- *Antiquis Curetum allabimur oris.*

IN. Impendo, insurgo, insusurro, inhio, innitor, immoror, inhæreo, insideo saxis. Cic. *Omnibus quorum mens abhorret a ratione, semper aliquis alijs dolor, aliis terror impendet.* virg. *Vela cadunt, remis insurgimus.* Immineo, incesso, immitto illi vel illum. Ovid. *Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.* Cic. *In nostras fortunas imminent.* virg. *Regibus incessit magno discordia motu.* Sed incesso, & alia nonnulla ab in composita, accusativum quoque exigunt sine præpositione, per regulam quintam constructionis accusativi. Licet incesso aliquando habeat accusativum cum in. *Liv.* Incessit morbus in castra. Intendo vires; i. extendo. Intendo animum studijs; i. do operam studijs. Horat. lib. 1. Ep. 2.

Invidiâ vel amore vigil torquebere si non;
Intendas animum studijs, & rebus honestis.

Virg. *Incubuitque toro, dixitque novissima verba.*

POST. Postpono famam pecuniæ, posthabeo: posthabui tamen illorum mea seria ludo.

PRÆ Præpondero, preniteo tibi fide. *Cic.* Suis majoribus virtute præluxit. Præcurro, præeo, præcedo, præsto omnibus vel omnes. *Plaut.* Vestræ fortunæ meis præcedunt. *Cæsar.* Helvetii reliquos Gallos virtute præcedunt. *Cic.* Hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitiâ non potest. *Quint.* præstat ingenio alius alium.

V. Verba occurrendi dativum habent. Pers. *Venienti occurrite morbo.* Sic obvio, obsto, obsisto, occurso. Virg.

Occursare capro, cornu ferit ille, caveto,
Principiis obsta serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Obvius nomen, & obviam abverbium, similiter dativum regunt: ut Sum tibi obvius: venio tibi obviam. Sic prævius Ovid. *Prævius auroræ lucifer ortus erat.*

VI. Verba favendi: ut foveo amico. Sic annuo, arrideo, subscribo, consentio assentio, vel assentior, hæreo, adhæreo

astipulor, concinno, suffragor, accedo, benè volo, benè cupio, benè opto, &c. Virg. *Jupiter omnipotens audacibus annue captis.* Cic. *Senatus mihi assensus est.* Assentior quandoque regit accusativum cum dativo. Cic. primo de Oratore. *Cætera assentior Crasso.* Idem. *Quare tibi, Antoni, utrumque assentior.* Virg. *Aspirat primo fortuna labori*; i. favet, auxiliatur. Cic. Ad hanc laudem aspirare non possunt; i. de hac laude acquirendâ, ne sperare quidem possunt. Accedo tuæ sententiæ; i. assentior. Novum plerunque infortunium novo accidit dolori, sive ad novum dolorem; i. adjungitur.

VII. Verba *studendi, & diligentiam adhibendi*. Studeo, incumbo, incubo, attendo, indulgeo, insisto, insto, inhio, insudo, invigelo innitor, vaco, inhæreo, operam do, impendo, navo, adhibeo operam: ut studeo Grammaticæ, invigelo pecuniæ. Cic. Quantùm quisque Reipub: studuit, tantùm mihi fuit aut amicus aut adversarius. Studeo pro vehementer cupio, aut volo, regit accusativum. *Idem.* Unum sentitis, unum omnes studetis. Dicimus incumbo laudi, & incumbo ad vel in laudem. *Tullius.* Mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem. *Idem.* Incumbe, per Deos immortales, in eam curam & cogitationem, quæ tibi summam dignitatem & gloriam afferat. Attendo juri vel jus. Insiste negotio sapienter; i. da operam. Insiste bonorum vestigijs, i. innitere. Habet etiam accusativum. Virg. *Nulli fas casto sceleratum insistere limen*. Insto operi, i. diligenter insisto: insto opus; i. aggredior, facio opus. Tibi multa bona instant à me, i. futura sunt. Virg. lib. 8.

Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!

Vaco pro cesso aut careo, capit ablativum cum â vel ab: ut vaco à labore, à studio, i. non laboro non studeo. Cicer. *Vacare à culpâ magnum est solatium.* Quandoquæ præpositio omittitur. Idem. *Nullum est tempus quod justitiâ vacare debeat.* Hujus constructionis causam require in regulâ nona genitivi.

VIII. Medendi, medeor & medicor, & si qua sunt his significatione conformia. Virg. *Senibus medicantur anhelis.* Lact. *Circumspice conscientiam tuam, & iniquitatum medere vulneribus*: Legitur etiam utrumque cum accusativo.

IX. Adulandi verba: Adulor, blandior, assentior, applaudo, lenocinor, palpor: ut adulor diviti, blandior matri, assentior nobili. Indoctis applaudet plebecula. Cicer. *Tibi serviet tibi,*

tibi lenocinabitur. Plaut. *Observatote quàm blandè mulieri palpabitur.* Palpo palpas, idem quod palpor accusativum regit, aut dativum.

X. *Verba auxiliandi.* Auxilior, subvenio, succurro, adminiculor, opitulor, patrocinor, commodo, subeo, prospicio, provideo, caveo, consulo, de quo dictum est latiùs: ut auxilior tibi, subvenio pauperi. Caveo tibi; i. prospicio. Lege cautum est; i. provisum est. Caveo periculum; i. fugio. Caveo te, vel à te; i. provideo ne mihi noceas. Plaut. *Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, quem etiam cavet.* Conducit, confert huic rei, vel ad hanc rem; i. utile est. Juvo accusativum habet, olim etiam dativum.

XI. *Verba famulandi*: ut famulor diviti. Sic ancillor, servio, inservio. Erasm. *Nil magis optandum, quàm ut Sacerdos immunis à conjugio, liber ac totus serviat Domino.*

XII. Nocendi verba: Noceo, resisto, inimicor, reluctor, obnitor, insidior, obloquor, detraho, succenceo, indignor, irascor, derogo, obtrecto, incommodo, afficio, retinor, injurio, adversor, obsisto, obsto, renuncio, dissentio, refragor, invideo, malevolo: ut noceo nemini. Deus superbis resistit. Horat. *Eutrapelus cuicunque nocere volebat vestimenta dabat pretiosa.* ---*Terent.* Senex de Davo. Quem ego credo manibus pedibusque obnixè omnia facturum, magis id adeo mihi ut incommodet, quàm ut obsequatur gnato. Derogo, & detraho tibi vel de te. *Cic.* Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari. *Idem.* Ille in Achaiâ non cessat de nobis detrahere. Æmulor illi i. invideo. Æmulor illum, i. imitor. Illudo, insulto illi vel illum. Aliquando Lædo illi per dativum veteres dixêre: nunc verò lædo illum.

XIII. *Verba parendi sive obediendi*, pareo, obedio, obtempero, acquiesco, morigeror, obsequor, geniculor, supplico, audio, ausculto, cedo, concedo, ut pareo magistro, obedio patri.

Tibul. *Longa dies homini docuit parere leones.*

Audio tibi, vel audio te, id est obedio. Cic. *Si me audies, vitabis inimicitias.* Audio cum dativo rarius est. Audiens dicto, sæpissimè legitur: sed hic audiens nomen est, teste Diomede. Ausculto autem pro obedio, Plerumque dativum habet.

bet. Davus apud Terent. *Nec quid agam certum est; Pamphilumne adjutem an auscultem seni.* Cedo, concedo tibi, id est locum do.

Ovid. *Cedit amor rebus, res age, tutus eris.*

Cedunt mihi hæc bona, id est, in jus meum veniunt. Concedo fato, id est morior.

XIV. *Verba præsidendi*: ut præsideo, præsum &c. Cic *Debeo sperare omnes Deos, qui huic urbi præcident, mihi ac mereor relaturos esse gratiam.*

XV. Pugnandi verba poëticè dativum regunt, apud Oratores & historicos ablativum habent intercedente *cum*, elegantissimè accusativum etiam cum præpositione *in*: Pugno tibi vel tecum, vel in te: sic Certo, digladior, concurro, congredior, &c. Virg. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.* Cic. *Æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, luxuria ignavia, temeritate, cum vitijs omnibus.* At rebello, repugno; & quædam alia, nusquam non dativum habent. Plin. *Difficilius est voluptati repugnare quàm iræ.* Ovid. ---*Ignavis precibus fortuna repugnat.* Sunt item quæ accusativum habent sine præpositione, veluti debello, & expugno.

XVI. *Verba parcendi*, & veniam dandi, ut parco, ignosco Pub. *Bonis nocet, quisquis pepercit malis.* Plaut. *Stultitiæ adolescentiæque ejus ignoscas.* Ignosco potest habere accusativum cum dativo. Idem. *Nunc hoc mihi ignoscas quæso.* Sic parco pro conservo. Virg. *Multa talenta gnatis parce tuis.*---

Parce lacrymis, injuriæ, vindictæ, metui, i. abstine à lacrymis, ab injuria, &c. virg. *Parce metu*, pro metui, antiquus Dativus est. Dicimus etiam per infinitivum, Parce lacrymari. virg.

Parce pias scelerare manus.----

XVII. Verba gratulandi. Gratulor & grator poëtis historicisque proprium. Ovid. *Gratulor huic terræ quòd abest regionibus illis.* virg. *Inveni, germana, viam gratare sorori.* Dicimus gratulor tibi hanc rem, hac re, & de hac re. Cicer. *Gratulor tibi victoriam.* *Idem.* Gratulor tibi affinitate viri medius fidius optimi. *Idem.* Quod mihi de Italiâ gratularis, agnosco humanitatem tuam; His cognata sunt gaudeo, gratificor, & gratum facio. *Cic.* Tibi gratulor, mihi gaudeo.

XVIII

XVIII. Quædam verba cum infinitivo impersonalia, sine eo personalia (sed rarò aliter quàm in tertiâ personâ) regunt dativum: ut Contingit, restat, & reliqua versibus comprehensa, quibus cognitis, non erit labor synonymorum, & contrariorum constructionem perspicere, qualia sunt obtingit, obvenit, perplacet, displicet, superat, superest, reliquum est, collibet, sedet, patet, &c. De impersonalibus exempla.

Horat. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*
Ovid. *Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.* De personalibus. Hor. *Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.* Publ. *Cui plus licet quam par est, plus vult quàm licet.* Stat & præstat impersonalia rarò dativum habent expressum. Virg. *Stat casus renovare omnes.* Sallust. *Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam per dedecus ammittere?* Pertinet, attinet, spectat ad me, dicendum est, non autem mihi.

XIX. Multa regunt dativum, de quibus certa non constat regula: ut Sto judicio, Cano receptui, ut milites à pugna redeant. Cano progressui; ut ad pugnam progrediantur. Intercedit mihi tecum amicitia. Dativus interdum solius festivitatis causâ verbis appingitur: ut Suo sibi hunc jugulo gladio. Horat. *Quid mihi Celsus agit?*

Ex adjectivis, quæ ternum jure requirunt;
Derivata lèges constructa adverbia terno.

Adverbia quædam admittunt dativum nominis adjectivi, unde deducta sunt: ut prodire alicui obviam, canit similiter huic. Fecit inutiliter sibi, Propinquiùs tibi, proximiùs illi, Congruenter naturæ, obvius enim, similis, inutils, &c. Gaudent Dativo. Horat.

Vivere naturæ si convenienter oportet.

REGIMINIS ACCUSATIVI
REGULA PRIMA.

ANte volunt quartum verba infinita, suorum
Post casũ. Præ nulla supina gerundia nulla
Dant casum, dabitur verbi pòst casus agentis,
Ni sit in *u*: post nil capit hoc, vult mobile præ se

Post

Post etiam sequitur sua participans benè verba:
Nam regimen fit idem, si significatio par sit.

Omne infinitum verbi personalis potest ante se regere accusativum, post se autem casum verbi à quo descendit: ut Hominem parere Deo æquum est. *Terent.* Meum gnatum rumor est amare. *Idem.* Qui postquam audierat filio suo non datum iri uxorem, *Cic.* Hanc sibi rem præsidio sperant futurum. Hic non repeto nominativum verbi finiti, rejectis particulis, quòd, ut, aut simili, in accusativum ante infinitivum mutari, proinde refer animum ad syntaxin nominativi, ubi & alia de infinitivo dicta invenies, regulâ *Ante capit rectum, &c.*

Gerundiorum & supinorum constructio.

Præ nulla supina gerundia nulla, &c. Nec supinum, nec gerundium regit ante se ullum casum: sed post se regit casum verbi activæ significationis: & sicut dicimus, lego historiam, ita venio causâ legendi historiam, vado lectum historiam.

ANNOTATIUNCULA.

Casum dico verbi activæ significationis: quia ubi gerundium & supinum passivè capiuntur, non admittunt ablativum verborum passivè significantium: sed ponuntur absolutè, teste Valla: ut malè dicitur, liber est difficilis ad intelligendum à nobis. Non venio vapulatum à te. Omitti enim debet ablativus juxta probatorum consuetudinem. virg.---- ---*Alitur vitium, crescitque tegendo.* Idem. *Uritque videndo fœmina* -Quint. *Memoria excolendo, sicut omnia alia, augetur:* i. dum tegitur, videtur, excolitur. Refragantur Vallæ, Sulpitius & Calepinus, verùm ipsi exempla fingunt, nulla è doctis afferunt.

Gerundiorum casus.

Quatuor sunt gerundiorum casus: Nominativus in dum: ut Petendum. Genitivus in di, ut petendi. Accusativus in dum: ut petendum: Ablativus in do, ut petendo. Solvendo non sum, dubitari potest (inquit Valla) dativus sit, an ablativus: utcunque est, gerundia dativi casûs rarissimè invenies apud probatos scriptores. Jungimus solvendo dativum. Quint. *Pauperi solvendo non sumus.*

De Gerundio Nominativi casus.

Finitis

Finitis in dum, *fuit*, *est*, *erit*, adjiciatur: (vo.)
Quando necesse notant, fermè comitante dati-

Gerundium nominativi casûs verbo substantivo adhæret; cum quo necessitatem quandam indicat. Juvenal. *Vivendum est rectè.*
Horat. *Si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi.* ---
Ovid. *Utendum est ætate, cito pede labitur ætas.*
Cic. *Iterandum eadem ista mihi*, subauditur *est*.

De gerundio genitivi casûs.

In di adjectivis, aut junge gerundia fixis:
Juncta leges patrio plurali nomine quarti.

Gerundia in di (quæ sæpissimè capiuntur activè: ut causâ discendi isthuc venio, i. ut discam. Passivè raro: ut Misi filium Coloniam erudiendi causâ, i. ut erudiatur. *Just.* Athenas erudiendi gratiâ missus, quantò doctior majoribus suis, tantò & gratior populo fuit.) Junguntur nominibus substantivis amor, causa, occasio, tempus, locus, ratio, gratia, opportunitas, & similibus: ut Amor habendi, causa pereundi, tempus tacendi. Ovid. *carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi: Ora nec immunda tota perunge manu.* Junguntur etiam in di adjectivis: ut Certus eundi, peritus navigandi. Notandum hic est, infinitivum pro gerundio capi hujusmodi nominibus appositum. virg. *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros, Et breviter Trojæ supremum audire laborem, Incipiam.* --Amor cognoscere & audire, i. cognoscendi & audiendi, sive ut cognoscas & audias. Ovid. *De juventute & senectute Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est: Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.* Paratior dare consilium, i. ad dandum consilium. Sic pugnare, pro ad pugnandum. Habent interim in di gerundia genitivû pro accusativo præsertim in plurali, licet Valla neget vitio carere; ut Composui hunc librum instituendi puerorum gratiâ: Plin. *cum illorum videndi gratiâ me in forum contulissem Illorum*, pro *illos* dixit.

De gerundio Accusativi casus.

In *dum* quod finit, gaudet præponere *ad*, *inter*,
Rariùs *ante*, vel *ob*, vel *circa* jungitur illi.

Ge-

Gerundia in dum (quæ sæpissimè significant activè: ut Inter legendum hoc natavi, id est dum legerem, passivè verò rarò, ut Persij carmen ad intelligendum est difficile.) Ponuntur cum ad, ob, circa, propter, ante & inter. virg. ---*Ante domandum Ingentes tollunt animos*,---Erasm. *Ne preceps sis ad loquendum.*

De Gerundijs ablativi casus.

In *do*, præcedunt *in*, *ab*, *ex*, *cum*, *de*, similesque.
Atque etiam dices, *scribendo scribere disces.*

Gerundia in do (quæ aliquando activè significant; ut Hos occidendo, illos accusando, totam civitatem labefactasti. Aliquando capiuntur passivè: ut Memoria excolendo augetur.) Apponuntur dictionibus quæ ablativum requirunt: ut Ex defendendo, quàm ex accusando, uberior gloria comparatur. Quint. *Ratio rectè scribendi, juncta cum loquendo est*, Interdum absolutè ponuntur: ut Sribendo disces scribere.

Gerundiva Nomina.

Ornatiùs per gerundiva loquimur, quàm per gerundia: Conveniunt autem gerundiva cum dictionibus per gerundia rectis, in genere, numero, & casu: ut Causâ habendæ pecuniæ tibi famulor, per gerundium diceres, causâ habendi pecuniam. Sic per gerundium dicimus, petendum est pacem: Per gerundivum, petenda est pax.

Gerundivorum Nominum casus.

Gerundiva in vocativo vix unquam reperiuntur. In nominativo rara sunt absente verbo substantivo, quale est hoc virg.---*Volvenda dies en attulit ultro*; i. quæ volvitur, Gerundivorum obliquis sæpè utimur. Ovid. *Nunc fœcundus ager, pecoris nunc hora creandi, Nunc avis in ramo tecta, laremque parat.* virg. *Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.* De dativo. Vaco agro colendo, vineæ pastinandæ, nemori succidendo. De accusativo. Cic. ad Catilinam. *Vivis & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* De ablativo. *Laboravi in colendo agro, in conficiendâ epistolâ.* Cicer. *Orationem autem Latinam profectò legendis nostris efficies pleniorem.*

APPENDIX.

Verbis quæ motum signant, prius adde supinũ

Supina in *um* apponuntur verbis aut participijs motum significantibus: ut Eo venatum. Vel clam indicantibus motum: ut Do filiam nuptum. Plaut. *Heu senex! pro vapulando herclè ego abs te mercedem petam. Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.* Horat. *Spectatum admissi risum teneatis amici.* Supina in *u* elegantissimè construuntur cum adjectivis sine ullo regimine. *Plin.* Accipenser piscis rarus inventu. *Cic.* Non facile est dictu, quantopere conciliet amicos comitas, affabilitasque sermonis. Ovid.

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

(*Post etiam sequitur sua participians*, &c.) Omne participium regit post se casum verbi sui, ut sicut dicimus: Amo DEUM: ita amans DEUM, & amaturus DEUM: ut amor à DEO: ita amatus & amandus à DEO: sic serviens DEO, vapulans à magistro. verborum communium in *ns* & *rus* participia, regunt accusativum patientem, in *dus* ablativum agentem mediante præpositione. In *tus* utrumque admittunt casum, accusativum in significatione activâ, ablativum in passivâ.

Dum mutat regimen, fit participians tibi nomen:
Comparat, & tempus, dum perdit significatum:
Adde his compositum, dum simplex fit tibi verbum.

Participium transit in nomen quinque modis: Constructione, cum alium quàm verbum regit casum. Ut scitus vadorum, acceptus tibi. Comparatione: ut Amans nomen est, cum facit comparativum amantior. Compositione, quoties aliter componitur quàm verbum: ut illæsus, innocens, nomina sunt, quia non dicimus illædo, innoceo. Amissione temporis, ut *Palleat omnis amans.* Beatus pro divite. Amissione significationis, ut indictus pro non dictus, quia indico minimè significat non dico: sic ingenitus pro non genitus, amandus pro amari dignus.

(*Nam regimen fit idem*, &c.) Cur Gerundia, Supina, & participia, regant casus verborum suorum, ratio hæc est. Ubi significatio est eadem, idem erit & regimen.

APPENDIX.

Per eandem rationem nomina quædam pro participijs posita verborum casus regunt: ut Præscius futura, populabundus agros. Justin. *Gratulabundus patriæ expiravit.* Itidem & verba neutra pro activis, habent activorum casus: ut Amo regit accusativum, ergo etiam ardeo pro vehementer amo.

Virg. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

Sic pereo, depereo puellam. Huc pertinent accusativum proprii actûs regentia, veluti curro longum cursum. Vivo vitam. Gaudeo gaudium. Servio miseram servitutem. Cic. *Rideamus gelota sardonion*; i. risum sardonium. Juven. *Qui curios simulant, & Bacchanalia vivunt.* Præterea verba ad sensus pertinentia sæpè pro activis sumuntur: ut --- *nec vox hominem sonat*; id est, sono exhibet. *Olet unguenta. Oratio Demosthenis olet lucernam.* Sapit vas. Sapit adustionem. Dicimus etiam pluit sanguinem, & sanguine, vel sanguis pluit.

Appendix altera.

Permultis verbis infinitivus adhæret.

Infinitivus aliquando finiti modi verbo adhæret: ut cupio scire, verior dicere.

Regula Accusativi secunda.

Omne dat activum, tolle *interdicere*, quartum: Hoc verbum sextum pro quarto sæpiùs optat.

Omne verbum activum regit post se accusativum rei patientis, qui in oratione passivâ fit nominativus: ut Amo Deum, Deus amatur à me. Aras terram, terra aratur à te. Puer osculatur matrem, mater osculatur à puero. A regula excipitur interdico, quia pro accusativo sæpiùs ablativum habet, ut diximus: Potes etiam excipere jubeo & invideo, ut Jubeo & invideo tibi, tu juberis & invideris à me. At à multis passivis abstinendum est, teste Diomede, quia venustiùs per impersonale dices jubetur & invidetur mihi.

ANNOTATIUNCULA.

Activum verbum igitur hîc voco, quod ab alijs transitivum dicitur: & differt à verbo activi generis. Verbum activi generis est quod in *o* desinens acceptâ *r* facit ex se passivum, præter facio, cujus passivum est fio. Verbum activum est quod agere significat, sive in *o*, sive in *r*, desinat; ante se regens nominativum agentem, post se verò accusativum

pa-

patientem: ut Diligo, oro, operior, criminor. Horat.

Sedulitas autem, stultè quem diligit, urget. Idem.

Nec tardum operior, nec praecedentibus insto.

Pertinent igitur ad hanc regulam non solùm verba activi generis verùm etiam neutra, deponentia & communia. Hîc notabis obiter, quòd quaecunque neutra accusativum patientem regunt, tertiam habeant passivi generis personam, & quatuor participia: duo in significatione activâ: ut seminans seminaturus: duo in passivâ, ut seminatus & seminandus.

REGULA TERTIA.

Celo, *rogo*, *doceo*, geminant, ut *vestio*, quartos
Diversos: dices *veniam* quoque *poscimus abs te*:
Induo veste patrem, dic: aut *vestem induo patri*:
Rem tibi, vel *de re te celo*, dicimus aptè.
Te doceo de Grammaticâ, tu dicito parcè.

Celo, cum verbis rogandi, docendi, vestiendi, regit duos accusativos pro diversis acceptos: ut Celo te arcana mea. Dóceo discipulos poësin. Rogo Magistrum veniam. Induo te tunicam. Sed rogandi; i. precandi, & interrogandi verba admittunt quandoque ablativum pro altero accusativorum: ut à nemine percontaberis ea, quae tua non intersunt. Virg.

Ipsum obtestemur, veniámque oremus ab ipso.

Cicer. *Legem sibi indicunt innocentiae, virtutum omnium, qui ab altero rationem vitae reposcunt.* Supplico semper dativum habet: Teren. *Ipsum hunc orabo, huic supplicabo.* Verba vestiendi mutant interdum accusativum personae in dativum: ut Induo tibi tunicam: Rei verò in ablativum, ut induo te tunicâ. Ovid. *Fluminàque obliquis cinxit declivia ripis.*

Personam hîc voco, quicquid patitur: *Rem*, quod neque agit, neque patitur. Eodem planè modo variat celo: ut Celo tibi consilium meum. Sed hoc ablativo rei dat praepositionem.

Cic. Bassus noster de hoc me libro celavit. Caelo pro sculpo huc non pertinet. Quamvis invenitur Doceo te de hac re. Sallust. *De itinere hostium Senatum doceo.* Non tamen libenter dicerem, Doceo te de hac re; Instituo, imbuo, & instruo, exigunt ablativum, sine praepositione: ut *Intererit multùm*

 quibus

quibus moribus puerum instituas. Horat.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.----

Cato. *Si tibi sunt nati nec opes, tunc artibus illos Instrue.--------*

ANNOTATIUNCULA.

Dixi duos accusativos pro diversis acceptos; quia duos accusativos ad eandem rem pertinentes: aut qui significantur ad eandem rem pertinere, benè regunt alia verba: Voco te hominem. *Circe fecit homines lupos & leones,*

APPENDIX.

Quorũ activa duos varios jungunt sibi quartos,
Illorum passiva rei quartum modò poscunt.

Passiva verborum duos accusativos diversos regentium, priore accusativo in nominativum mutato, posteriorem admittunt, qui ferè est rei inanimatæ: ut Rogo te veniam. Tu rogaris à me veniam, doceo discipulos Grammaticen, discipulus docetur Grammaticen, non Grammatice docetur discipulum. *Virg.* 2. Æn. 505.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur.----

REGULA QUARTA.

Delectat, decet atque *juvat*, da quarto & *oportet.*

Hæc quatuor verba, Delectat, decet, juvat, oportet, accusativum post se capiunt, & cum infinitivo impersonalia dicuntur, cum nominativo ante se, personalia: ut Delectat me studere, aut delectat me studium. Decet sacerdotem castè vivere, aut decet sacerdotem casta vita. Juvat nos aspicere arva, aut juvat nos aspectus arvorum. Dubium videri potest an oportet accusativum habeat. Si enim dicas: Oportet te ire, te non regitur ab oportet. Sane ubicunque hoc verbum personaliter invenitur, post se nusquam habet accusativum, cum quo alia tria passim occurunt. Horat. *Quem res plus nimio delectavêre secundæ, Mutatæ quatient.* Idem. *Parvum parva decent.* Ovid. *Scilicet interdum miscentur tristia lætis: Nec populum toto pectore festa juvant.* Dedicet, ostendit, lædit, & alia nonnulla cum infinitivo impersonalium quoq; naturam accipiunt: ut *Indulgere Baccho offendit cerebrum.* Antiqui decet

cet ponebant cum dativo more Græcorum. Ter. in Adel. *Ut vobis decet.*

REGULA QUINTA.

Compositum quandoque dabit sibi præposituræ Casum: Quocirca quartum, sextumque dat *exit:* Sæpè quidem docti repetunt benè præpositurã.

Verbum compositæ figuræ regit aliquando casum præpositionis cum quâ componitur: ut Adeo Petrum. Circumsistimus magistrum. Plaut. *Me miserum! ad hunc modum decies die uno sæpè extrudit ædibus.* Horat. --*Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam Insiluit.* ----Idem. ----*Hæres hæredem alterius velut unda supervenit undam.* Dicimus Exeo & egredior domo vel domum, quia è, ex, & extra in in compositione idem valent. Sæpè præpositio repetitur, ut Egredior è templo. Cic. *Extra cancellos egredi conabor.* Ter. *In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum.* Verùm ne quis in repetitione præpositionis pleonasmum committi putet, sequens notanda est regula.

Æquivalens geminis, harum si jungitur uni Dictio, pro reliquâ tantummodò debet haberi.

Quoties dictio æquivalet duabus dictionibus in significando, si ipsi altera illa cum jungatur capitur solùm pro reliquâ; ut Insum in lectione, id est sum in lectione: Opusculum significat parvum opus, at si parvum apponatur, habetur pro primitivo. Cic. in Paradox. *Accipies igitur hoc parvum opusculum.* Sed hoc modo diminutivis utimur ob vehementiorem rei depressionem. Huc non respexerunt, Lancil. Perot. & Bergomates, qui negant nemo idem significare, quod nullus homo, quia Livius superfluè dixisset, Nemo hominum, & Ter. *Hominem callidiorem vidi neminem quàm Phormionem.* Sed certè in his & similibus, nemo solùm, pro nullus ponitur. Quòd verò idem Livius ait: Nemo Deorum: & Virg. *Turne, quod optanti divum promittere nemo Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.* Tolerabilis acyrologia est, teste Servio. Ipsa autem Etymologia indicat nemo ad homines peculiariter perti-

nere, constat enim à *ne* & *homo*, ut cum Servio, Pompeius Festus testatur.

REGULA SEXTA.

Quàm poscendo *diu*, quartum vel ponito sextum
Cum quovis verbo: secùs ablativus adesto.

Omne verbum regere potest accusativum vel ablativum temporis sine præpositione, aut accusativum cum præpositione *per*, ubi quæstio fieret per *quamdiu* & *quamdudum*, aut per *quampridem* de longiori tempore quærens. Quamdiu habitasti Lutetiæ? Tres annos, vel tribus annis, vel per tres annos. Quamdiu obijt pater tuus? Ab hinc tres dies, vel tribus diebus. Cic. ad Attic. *Quod quæris quamdiu hîc?* paucos dies; sed certum non habeo quamdiu. Virg.

Noctes atque dies patet atra janua Ditis.

Cic. *Tenuisti provinciam per decem annos.* Suet. de Caligula. *Vixit annis 29. imperavit triennio, & decem mensibus, diebusque octo.* Venustiùs tamen tempus continuum per accusativum effertur. Plaut. *Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.* (*Secus ablativus adesto*) At quæstione factâ per *quando*, aut *quanto tempore*, pro intra quantum tempus, solus ablativus datur, Quando venisti? Horâ tertiâ. Ovid. *Mense malos Maio nubere vulgus ait.* Quanto tempore hæc scripsisti? Tribus horis. Ovid.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit, id est intra exiguum tempus.

REGULA SEPTIMA.

Quantum sit spatium, quarto vel dicito sexto:
At ubi quid factũ, sexto tantummodò prome.

Verbum eundi & distandi regit accusativum, vel ablativum distantiæ aut spatij, ut ambulavi septemmillia, vel millibus. Colonia abest hinc iter, vel itinere quatuor dierum. Plaut: Euclio. *Si herclè tu ex isthoc loco digitum transversum, aut unguem latum excesseris, continuò herclè ego te dedam discipulam cruci.*

ANNOTATIUNCULA.

Distantiæ

Distantiæ casus aliquando subauditur. Cicer. *Nos properabimus in castra, quæ aberant bidui.* Cum dicimus, ivi duo millia, subauditur genitivus (passuum) quia milliare continet propriè mille passus, continet autem passus quinq; pedes.

Mart. *Te tamen ut videam, duo milia non piget ire:*
Ut te non videam, quatuor ire piget.

(*Ast ubi quid factum sexto,* &c.) Ubi quid factum sit, eloquemur solum per ablativum: ut Captus est latro sexto ab urbe lapide, non sextum lapidem. Sed opus est ut nomen distantiæ sit, alioqui præpositio adderetur: ut *Joannes Baptista decollatus est in carcere*

Ut propius sic proximè amat sibi jungere quartum.
Proximus at propior poscunt sibi nomina ternum.

REGIMINIS ABLATIVI
REGULA PRIMA.

Naturâ faciens regitur sine præpositurâ
In sexto, à verbis permultis, mobilibusque.
Sic dabis efficiens quodcunq;, modò benè possis
Hoc *per*, *præ*, *propter*, reserare: *Pudore tacemus.*
Te virtute colo. Tardus senio. Gravis ære.
Rex dono Christi: *divino numine præsul.*

Omne ferme verbum & plurima adjectiva regere possunt ablativum causæ efficientis, præcipuè naturalis & internæ: qui ablativus declaratur per præpositionem, *per*, vel *præ*, vel *propter*. Exempla de verbis; Taceo pudore, rubesco ignorantiâ. Hic stupet vitio. Pinguescit glis somno: feci amore tui, id est propter pudorem, ignorantiam, &c. aut præ pudore, &c. Cicer. ad Pætum. *Mirificè capior facetijs, maximè nostratibus.* Ambros. *Peccator quamvis foris abundet, & delicijs fluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ suæ vitam exigit.* Horat. ---*Hic murus ahenus esto, Nil conscire sibi multa pallescere culpâ.* Idem. *Imberbis juvenis, tandem custode remoto, Gaudet equis canibúsque, & aprici gramine campi.* Exempla de adjectivis: Pallidus morte, albus frigore, tardus senio, gravis ære, superbus honore, id est propter mortem, frigus, &c. Plin. *Utica Catonis morte nobilis.* Quintil. *Aristotelem*

velem dubito scientiâ rerum, an scriptorum copiâ, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Quædam substantiva, ut dignitatum nomina, regunt ablativum efficientis, ut Dei gartiâ Rex.

REGULA SECUNDA.

Materies ex quâ rarò sine pæpositurâ ponitur: ut *Fulvo nummos cudit faber auro.*

Materia ex quâ aliquid fit, in ablativo exprimitur sæpiùs cum præpositione *de, e,* vel *ex* ut Faber facit ex auro calicem. Homo factus est de limo terræ. Aliquando præpositio subauditur, sed fere apud Poëtas, ut apud Virg. *Ære cavo clypeus.* --- *Sectáque intexunt abiete costas.*

Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?

REGULA TERTIA.

Materiam circa quam proprietas habet *esse*,
Mobile cum verbo sexto capit: *auctus honore,*
Lacteque distentus. Sic adjectiva dabuntur
Plurima cum verbis *fungor, vescor, fruor, utor,*
Victito, fraudo, beo, dono afficio, colo, sterno,
Cum multis junges, quæ prosa recludet abundè.

Plurima adjectiva & verba regunt in ablativo materiam circa quam proprietas versatur. De adjectivis, ut auctus muneribus. Uber distentum lacte. Duplex auro. Vir duplex animo. Præditus virtute. Cic. in Verrem. *Homo singulari cupiditate, audaciâ, scelere præditus: lentus gradu, dulcis eloqio, benignus naturâ, promptus linguâ, tardus manu.* Licet hîc sit materia, cui quid inhæret, tamen dici qnoque potest materia circa quam fit aliquid.

Exempla de verbis: fungor, defungor magistratu; vescor carne, fruor amici conspectu. Utor, abutor nummo. Victito lacte, colo te modico munere, sterno lectum tapetis, prosequor te laude, id est, laudo te. Sic prosequor te odio, amore, benevolentiâ. Pascor herbis, passivi generis est, Pascor herbas, deponens est, dignor te laude id est, dignum judico. Virg. --- *haud equidem tali me dignor honore.*

Mutat aurea æris   Horat.   *Diruit,*

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Tempero me vino, vel à vino. Conficior mœrore, senectute, tristitiâ. Frustro, aut frustror te spe, id est decipio, frustror expensas, id est frustra ago. Multa tamen nomina quàm verba huc referri possunt, quibus ex ordine instituto nona in constructione genitivi data est regula. Fungor, vescor, fruor, utor, inveniuntur etiam cum accusativo. De impertior & dono, latiús in dativo dictum est; in regulâ *Acquisitive si ponas verba, &c.*

REGULA QUARTA.

Forma modúsve datur per casum rite Latinum

Nomen formæ vel modi regitur in ablativo à verbo & adjectivo nomine, aliquando etiam à substantivo, quotiescunque apta fieret interrogatio per quomodò; ut si quis quærat, quomodò cantabimus? aptè respondebis, submissâ voce, gravi accentu. Sic Aspicio te torvis oculis. Facies miris modis pallida. Ovid. 1. Epist. *Tres sumus imbelles numero.*--- Nomine Petrus, Cognomine Paulus, Nomine Grammaticus, re Barbarus. Præceptor consilijs. Rex titulo.

Virg. --- *Trojanus origine Cæsar.*

Non injuriâ id feci. More meo doceo, jure meo hoc mihi vendico. Recito dulci prolatione.

REGULA QUINTA.

Mobile vel verbum mensuram dat sibi quarto
Vel sexto, *longus treis ulnas*, vel *tribus ulnis.*

Adjectivum nomen vel verbum regit mensuræ nomen in accusativo vel in ablativo: ut hic pannus est longus tres ulnas, vel tribus ulnis. Pl. de Babylone. *Muris ducentos pedes altis quinquagenos latis.* Plaut. *Comesse panem tres pedes latum potes.* In sacris. Erat autem Ninive magna, itinere trium dierum.

Pers.---- *Nugaris cum tibi, calve,*
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.
Adjectiva quibus dimensio significatur,
Sunt longus, latus, crassusque, profundus, & altus.

REGULA SEXTA.

Mensuram, excessûs verbum vel mobile sexto

Optat: ut *excedo digito*, *pede longior uno.*

Dictio significans excessum regit ablativum, qui significat excessûs quantitatem certam vel incertam, ut sum te longior capite.

Hoc lignum excedit illud digito. *Sum te modicò doctior, multò fortior.* Juvenal dixit de Pygmæis.

------ *tota cohors pede non est altior uno.*

REGULA SEXTA.

Passivis sextum dabimus cum præpositurâ
A vel *ab.* *Accipiens* sic *do*, *distans removensque.*
Sic *alius* ponas, & quæ conformia nôris.

Omne verbum passivum potest regere post se ablativum intercedente præpositione à vel ab, ut amor à Petro, liber legitur à Magistro, vapulans à Præceptore, Infans osculatur à matre. Horat.------ *Laudatur ab his culpatur ab illis.* Quintil. *Fabricius respondit se à cive spoliari malle, quàm ab hoste venire.*

Annotatiuncula de constructione impersonalium in *tur.* Passivum verbum hic voco, non solùm quod est passivi generis, sed quodcunque pati significat, sive in *o* sive in *or* desinit. Et adduntur passivæ vocis impersonalia, licet activè significent, quæ præter ablativum post se regunt casum suorum verborum: ut tibi reclamatur ab omnibus. Cicer. *Nihil est à me inservitum tempori*, Sed cavendum, ne eis quæ veniunt ab activis & à neutris accusativum regentibus accusativum apponas: non enim sic loquerer, à me legitur Mathæum à te aratur terram, sed personaliter, à me legitur Mathæus, vel lego Mathæum, à te aratur terra, vel tu aras terram. (*Accipiens sic do distans, removensque.*) Verba accipiendi, distandi, & removendi, regunt ablativum cum præpositione à vel ab. *Accipiendi*, ut Accipio, recipio, audio, disco, quæro, habeo, intelligo, conduco, spero, expecto, nascor, &c.) *Binas à te recepi literas*: Terent. *Disce ab his qui vere sciunt.* Publ. *Ab alio expectes alteri quod feceris.* Tacit. *Nasci à principibus fortuitum est.* Fœnero vel fœneror tibi, id est pecuniam ad usuram do. Fœnero vel fœneror abs te, id est ad usuram accipio. Contra Vallam, teste Mancinello. *Distandi & removendi*

vendi: ut disto, refero, absum, abeo, recedo, discedo, alieno, amolior, divido, segrego, arceo, abhorreo, averto, aufero, &c. ut Longè distat à nobis India. Absum ab Italia. Suet. *Nec abhorret, à veritate.* Horreo, abhorreo, hanc rem id est, abominor, execror, aut formido. Aufer à nobis Domine iniquitates. Averte iram tuam à nobis. Supersedeo sæpiùs legitur cum ablativo quàm accusativo. Cic. *Supersedeas hoc labore itineris*, id est omittas venire.

Annotatiuncula generalis.

Verbis hujus regulæ aliquando datur Ablativus omissâ præpositione. Suet. in Domitia: *Philosophos omnes urbe Italiáque submovit.*

Horat.--- *Aliorum opprobria sæpe Absterrent vitijs*, ---
Idem. *Vivere si rectè nescis, discede peritis.*

(*Sic alius ponas*) Quædam adjectiva regunt ablativum cum *à* vel *ab*: ut alius ab illo. Sic alter, diversus & primus à Rege. Secundus à Principe, integer a vitijs. Castus à venere. Romulus oriundus est Trojâ, vel à Trojâ. De vacuus & alijs quibusdam dictum est in constructione genitivi.

REGULA OCTAVA.

Instrumenta dabis sextis sine præpositurâ.

Quodvis verbum potest regere instrumentum in ablativo, cui nullo modo addi potest præpositio: ut Scindo panem cultro. Cædo ferulâ. Impuli te pugno, Peto te stricto gladio. *Concordiâ res pervæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

Horat. *Reges dicuntur magnis urgere culullis,*
Et torquere mero, quam perspexisse laborant.
Virg. *Nullus ubique potest fœlici ludere dextra.*

ANNOTATIUNCULA.

Ubi non Instrumentum significamus, sed comitem, quem modum actionis vocant, licet præpositionem addere, teste Vallâ: ut Acceptus est à nobis cum honore. Magnâ cum benevolentiâ scripsit. Cum mirâ affabilitate me alloquutus est.

REGULA ULTIMA.

Absque regente, duos sextos benè pone sequelæ.

Discunt discipuli, me Præceptore docente.

uo-

Quoties duæ orationes nominativi & verbi sic se habent: ut alteri apponatur talis particula dum, quando, postquam, aut similis: lepidè priorem mutamus in duos ablativos, qui non reguntur, sed ponuntur absolutè: ut pro, dum magister legit, pueri scribunt, eleganter dicitur magistro legente pueri scribunt. Sic. *Magi apertis thesauris obtulerunt munera. Augusto regnante natus est Christus, Tiberio imperante crucifixus.* Ter. *Me impulsore non fecit.* Horat. de sene. *Laudator temporis acti Se puero,* id est cum ipse esset puer.

ANNOTATIUNCULA.

Dicitur ablativus sequelæ sive consequentiæ, quia aliquid ex alio denotatur sequi: ut Sole lucente evanescunt tenebræ. Dicitur absolutus, quia non regitur.

In postremum hunc locum (ne quid transmutasse dicamur) paucula explicatæ Syntaxi, de gradibus comparationum rectè statuendis, & legitimâ adverbiorum, & conjunctionum cum verborum modis consensione, operepretium subjicere duximus, ut hisce adminiculis, promptiùs & puriùs adjuti adolscentes orationem forment Latinam.

Valdè, apprimè, unicè impensè abundè, admodum, perquam cum primis, imprimis, sanè, oppidò, tam, quàm, & quæ in um desinunt, parum multùm, nimiùm, quantùm, aliquantùm, aliaque id genus, positivis fere adhærent. Cic, *Socer hujus vir multùm bonus.* Plaut. *Timida es aliquantulum soror.* Terent. dixit cum comparativo, *aliquantulùm ad rem avidior.*

Comparativis apponuntur plerumqne hæc, paulò, nimiò, aliquantò, tantò, quantò, quò, eò vel hòc, multò, modicò, longè. Cic, *Paulò deteriùs valeo quam soleo.* Virg.

At pedibus longe melior Lycus.

Adduntur superlativis sæpiùs, multò, longè, facilè, cùm haud dubiè significat: quàm pro valdè, quàm pro quantùm, verbo possum junctum. Tam quàm, dum se mutuò consequuntur, pro, ut, ita. Salust. *Quàm quisque pessime facit, tã maximè tutus est.* Sic tantò quantò, apud Cat.

Tantò pessimus omnium Poëta,
Quantò tu optimus omnium Patronus.

De quorundam adverbiorum modis

In-

Indicativum petunt.
Ut pro postquam. Ter. *Ut ventum est in urbem.*
Dum. Idem. *Dum ætas tulit*, pro quamdiu.
Donec. Ovid. *Donec eris fœlix.*

Subjunctivo adhærent.
Ne prohibentis. Ne facias, aliquando imperativo jungitur. *Ne sævi tantopere.*
Dum pro dummodo. Ter. *Dum prosim tibi.*
Quasi, ceu, tanquam, perinde, ac si, haud secus.

Indicativis gaudent vel Subjunctivis.
Quum proprium suum verbum habent. Tanquam feceris ipse aliquid: *Quasi non norimus nos inter nos*, aliter copulant.
Antequam, priusquam. Ter. *Priusquam pereo.*
Næ, prò profectò, pronominibus præpositum: Næ ego sum homo infelix.
Similitudinis adverbia, quemadmodum, ut, utcunque, sicut, *Ut sementem feceris, ita & metes.*
TEMPORIS.
Simul, simulac, simulatque, quum, antequam, ubi, postquam, quàm. Ter. *Priusquam pereo.*
Dum, & donec, quoad, vel quousque.

Post has voces, adeo, ita, sic, tam, talis, tantus, tot, non ponitur *quòd*, sed *ut*, cum subjunctivo. *Cic.* Adeone ignarus es, ut hæc nescias?

Aliter, secùs, contra, ascisͨunt ac; atque, quàm, Ter. *Non secùs, ac si meus esset frater.* Idem. *Neque aliter contrà quam censeo loquor.*

Perinde & proinde, quod idem significat, asciscunt à tergo, atque, ut, quasi, ac, acsi. Plaut. *Perinde res omnes sunt, ut eas magni facias.*

Plus & amplius, junguntur nominativo & accusativo, sed quám subauditur. Terent. *Plus quingentos colaphos infregit.* Cic. *Amplius sex sunt menses.* Vi suâ regunt ablativum ut casum proprium: plus anno. Amplius tribus digitis.

NEDUM.

Nedum secundam in clausula partem tenet. In oratione affirmativâ jungitur rei minoris momenti. Effunderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. In oratione negativâ jungitur

rei majoris momenti. *Non funderem pro te pecuniam, nedum sanguinem.*

Non solùm, non tantùm, non modò, priorem sensum occupant. Affirmando cum eo quod minus est, Negando cum eo quod majus est. Non solùm pro te non moriar, sed nec pugnem.

De modis quos expetit Conjunctio.

Indicativum postulant quanquam, etsi, in principio statim sententiæ: in medio etiam subjunctivum. *Cic.* Etsi vereor, judices.

Quando, quandoquidem, quatenùs pro siquidem, quoniam.

Quippe cùm proprium habet verbum. *Danda illi venia quippe ægrotat*: si addideris, qui, quæ, quod, fere subjunctivo adhæret. *Non est illi venia danda, quippe qui pejeravit antea.* Nisi in principio sententiæ.

Ne, an, num, interrogandi particulæ. Terent. *Num cogitat, quid dicat?*

Siquis, siquis adest. Mirum, ni, Subjunctivis adhærent sæpius, Quamvis, licet: Ni, quod pro ut, Utqui, utpote qui, quippe qui. Quo pro ut causali, Cùm pro quamvis vel quoniam: ut pro quamvis. *Servi ut taceant, jumenta loquentur.* Ne dubitantis pericula. Ter. *Timet ne deseras se.*

Aliquando Indicativum; aliquando Subjunctivum amant.

Tametsi, etiamsi, nisi, si, siquidem, quia & quod, causam notans.

Ut gaudet Indicativo pro { quam. Plaut. *Ut nunc malè eum metuo miser,* | postquam. Virg. *Ut Regem vidit.* | nota interrogandi. *Ut vales?* | particula admirantis. Virg. *Ut vidi, ut perii?*

Ut Subjunctivum postulat cum { pro quamvis: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.* | Imprecationi servit: *Ut te dii perdant.* Cum causam finalem notat, *Orat ut ad se venias.* | Post verba, timeo, metuo, vereor, eleganter ponitur ut, pro ne, vel ne non. *Metuo ut substet hospes.*

Conjunctiones geminatæ.

Cùm præcedens, tum sequens indicativum poscunt, sed

cùm

cùm præcedit cum minore, tum ſequitur cum majore, Odit cùm literas, tum virtutem. Et &, tum, tum, nec neque, paria vel imparia connectunt, *Vir tum doctus, tum pius.*

AUTEM VERO.

Autem ſequitur particulam non, vel porro, non autem porro autem.

Verò ſequitur has particulas, Nec, neque, tum, ne, ſanè jam, at, enim, quaſi, nunc. Item pronomina, Ego, tu, ille.

Ergo & igitur brevioribus concluſionibus ſerviunt: Quare & quamobrem longioribus, cùm conjunctiones ſunt.

F I N I S.

GRAMMATICÆ DISPAUTERIANÆ

LIBER IX.

De ordine declarationis Grammaticæ, & de Syntaxi reciprocorum.

Ordo Grammaticæ declarationis.

OPtandi debent adverbia ſive vocandi
Sumere principium: veluti interjectio ſæpe,
Ecce, Age, & *heus.* Poſt hæc caſum decet addere quintum.
Hinc rectum ſequitur verbum. Tibi ſit generalis
Regula, quæ à tergo regitur, vult dictio cuncta
Poſtponi*:* Si quid declarat, juris idem ſit.
Si quid ſit tacitè poſitum, ſupplere jubebo.

Regulæ in ordine Grammaticæ declarationis obſervandæ ſunt ſeptem. Prima regula. Excitandi particulæ: ut adverbia optandi, vocandi, demonſtrandi, hortandi, & reſpondendi,

& interjectiones plerumque sumunt principium in ordine Grammaticæ declarationis. Secunda. Post hæc sequitur vocativus. Tertia. Post vocativum sequitur Nominativus à fronte verbi rectus. Quarta. Post nominativum sequitur verbum personale finiti modi. Semper intelligo si sit in oratione, nam si hæc abfuerint, ab impersonali incipimus: ut *Tædet animam meam vitæ meæ.* Quinta. Dictio recta à tergo sequitur dictionem regentem. Itaque post verbum personale aliquando sequitur nominativus: ut Sum homo: aut genitivus, ut miserere tui: aut dativus, servio Deo: aut accusativus, ut Amo Deum: vel ablativus, ut careo nummis. Sexta. Declarans declarato postponitur: ut adjectivum substantivo, adverbium verbo, infinitivus finito. Item infinitivus & supinum, & gerundium postponuntur adjectivo: ut Certus mori, aut moriendi; turpe dictu. Præpositio cum suo casu postponitur verbo per hanc regulam: quia ipsa cum casu declarat significationem verbi: ut adeo ad forum. Septima. In declaratione orationis diligenter videndum est an aliquid subaudiatur, quia hoc suppleri debet: ut *Miseram me! vereor*, subauditur *ô* vel *heu*. Unde mihi lapidem. Hebræi sunt, & ego.

Sex à dictis regulis exceptiones.

Quod *rogat* atque *refert*, & habet quod vim referentis.
(Ut quod verba petit semper duo, *dum*, *quia*, *donec*.)
Atq; *negans*, præit. Ob Logicâ mutabitur ordo.
Præcedens semper præponitur & referenti.

PRIMA EXCEPTIO.

Interrogativum semper præcedit, ideo ab obliquo vel adverbio sæpè inchoamus ordinem: ut, quem quæritis? Ubi vidistis hominem? Quem tædet vitij?

SECUNDA.

Nomen relativum, & hinc abverbium, præcedit dictionem à quâ regitur: ut, Hic est quem videre cupivi. Vidi campum ubi Adam habitavit. Virg.

--O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.--

TERTIA.

TERTIA.

Dictiones vim relativam habentes, ut quæ ad sensus perfectionem plura verba petunt, debent in declaratione Grammaticâ præcedere. Tales dictiones sunt nomina vel adverbia infinita, cum, deinde: deinceps, sic, sicuti, dum, quando, quis, quoniam, licet, postquam, quàm, quamvis, & similia his quamplurima.

QUARTA.

Dictio negativa debet præcedere: ut, Neutiquam faciam. Neminem video. Adverbium prohibendi etiam negandi vim habet, ergo præcedit: ut Ne feceris.

QUINTA.

Propter Dialecticorum præcepta oportet interdum contra dictas regulas partes orationis ordinare: ut *cuique homini anima est. Aliquo homine ditior sum. Hominem cognosco.* Et similia, quæ tamen à doctis interim spernuntur. *Sonorum alius vox, alius non vox.*

SEXTA.

Relativum necessariò postponitur antecedenti, ideo obliquus contra dictas regulas aliquando præponitur nominativo aut verbo: ut *Ciceronis indiget suus filius, Patrem sequitur sua proles.*



DE RECIPROCIS.

Reciprocum est relativum reflexivum, quod ad id unde prodiit revertitur, ut primitivum sui, & derivativum suus, velut, iste amat se: ecce, hic amor reflectitur ad amantē. Sic iste diligit filium suum; hic dilectio tendit in rem diligentis. Ut autem facilè pateat ad reciprocorum notitiam iter, ante omnia diligenter considerandum est principale suppositum, ad quod fieri debet reciprocatio: ut *Superbus est sui laudator.* Publ. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.* Expectat te Joannes, ut se juves. principale suppositum est Johannes: Sic in omnibus orationibus de ut, & ne, principale suppositum, est suppositum prioris orationis: veluti, Magister præcepit ut ad se venirem, Joannes timet ne sibi noceam. Joannes diligit petrum & fratrem suum, [illegible] fratre Joannis

 in

intelligitur, Joannes diligit Petrum & fratrem ejus, de fratre Petri intelligitur: quia hîc ad obliquum, illic ad principale suppositum fit relatio. Ideo in Evangelio benè dicitur; *Surgens accepit puerum & matrem ejus nocte. Et vocabis nomen ejus JESUM. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* *Eorum* dixit, non *suis*, ne de peccatis JESU, quæ nulla fuere, loqui videatur. Vertit autem interpres *eorum* pro *ejus*; Mathæus enim Græcus pluralem Genitivum autôn habet.

ANNOTATIUNCULA.

IN Reciprocis multi errarunt, aut ipsi ex industriâ abusi sunt, ut *Laur. Valla* ostendit: sed cautè videndum est ad quid fiat relatio; ne non ille, sed nostra erret censura: ut apud Horatium.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.

Georg. Valla vult *sibi* pro *ei* poni, quod verum non est quia sibi ad famam non refertur. Sed sensus est, *finge convenientia sibi*, id est, ea quæ sibi ipsis non adversentur; verùm inter se aptè cohæreant, ne monstrum nascatur tale ut nec pes, nec caput uni reddatur formæ.

F I N I S.



DES. ERASMI ROTERODAMI,

De ratione studij, ad Christi[illegible]num Lubecensem Epistola Parænetica.

CUm te incredibili quodam ardore literarum flagrare minimè dubitarem, Christiane non vulgaris amice, hortatore nihil opus esse putavi sed ejus, quam ingressus esses, viæ duce modo, ac tanquam indice. Id quod mei officij esse judicavi, videlicet ut tibi homini non modo multis modis copulatissimo, verum etiam jucundissimo, vestigia, quibus ipse à puero essem ingressus, commonstrarem, Quæ si tu pari curâ accipies, quâ ego dicturus sum, futurum confido, ut neque me mon[illegible]isse, neque te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, u[illegible] [illegible]ptorem tibi deligas quàm eruditissimum: ne-

que enim fieri potest, ut is rectè quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus. Quem simulatque nactus fueris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filij vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari; quod non minus debeamus ijs, a quibus rectè vivendi rationem, quàm à quibus vivendi initia sumpsimus: tum ista mutua benevolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis literarum Præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum, & assiduum præbeas. Contentione enim immodicâ nonnunquam obruuntur ingenia discentium: assiduitate verò & mediocritate suâ perdurat & quotidianis incrementis maiorem opinione acervum accumulat. Satietate, cùm in omnibus rebus, tùm in literis, nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio, intermiscendi lusus, sed liberales & literis digni, & ab his non nimis abhorrentes: imo medijs ipsis studijs perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potiùs discendi, quàm laborem existimemus. Nihil enim perquam diu fieri potest, quod non agentem aliquâ voluptate remoretur. Optima quæque statim ac primùm disce. Extremæ est dementiæ discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere Medici, idem tibi in ingenijs servandum puta, Cave ne aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas, utroque enim juxta offenditur. Ebrardum, Catholicon, Brachylogon, cæterosque id genus, quos percensere neque possum, neque operæpretium est, ijs relinquito, quos Barbariem immenso labore discere juvat. Initio non quàm multa, sed quàm bona percipias refert. Sed jam rationem accipe, quâ possis non solùm rectiùs sed etiam faciliùs discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio ut tantundem operis, cùm rectiùs expeditiùsque, tum leviùs etiam efficiat. Diem tibi in operas partire, id quod & à *Plinio* secundo, & apio Pontifice Maximo viris præstantissimis factitatum legimus. Principio, quod caput est, Præceptorem interpretantem non attentus modò, sed & avidus auscultato. Non contentus impigrè sequi disserentem, aliquoties prævolare contende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelissimis vocum custodibus. Quibus rursus ita confidas cave, ut dives ille

ille ridiculus apud Senecam, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid servorum quisquam meminisset. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipse sis ineruditus. Audita ne effluant: aut apud te aut cum alijs retracta, nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quam unam D. Aurelius tum ingenio, tum memoriæ imprimis conducere scripsit. Conflictatio quoque & tanquam palæstra ingeniorum, nervos animi præcipuè tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari, si quid dubitabis; nec castigari, si quid errabis, sit pudor.

Nocturnas lucubrationes, atque intempestiva studia fugito: nam & ingenium extinguunt & valetudinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica; est apta studijs. Pransus, aut lude, aut deambula, aut hilariùs confabulare. Quid quod inter ista quoque studijs locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum valetudini satis sit sumito. Sub cœnam paulisper inambula: cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam, ac dignum memoriâ legito. De eo cogitantem sopor opprimat: id experrectus à teipso reposcas. Plinianum illud semper animo insideat tuo: Omne perire tempus quod studijs non impertias. Cogita juventa nihil esse fugacius, quæ ubi avolârit semel, redit nunquam. Sed jam hortator esse incipio, indicem pollicitus. Tu suavissime Christiane, hanc formam, aut si quam poteris meliorem, sequere, ac benè Vale.



RATIO STUDII.

Quis sit modus repetendæ Lectionis.

Quibusdam prima, ac unica ferè cura est statim ad verbum ediscere; quod quidem non probo. Est enim magni laboris, tum fructûs propè nullius. Quorsum enim attinet, psittaci more, verba non intellecta reddere. Commodiorem igitur viam accipe. Lectionem quidem auditam continuò relege: ita ut universam sententiam paulò altiùs etiam animo infigas: Deinde à calce rursus caput redibis, &

singula

singula verba excutere incipies: ea duntaxat inquirens quæ ad Grammaticam curam attinent. Videlicet, si quod verbum obscurum, aut ancipitis derivationis: si Heteroclitæ conjugationis, quod supinum, quod præteritum faciat, quos habeat majores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet & hujusmodi nonnulla.

Hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito, ea jam potissimum inquirens quæ ad artificium Rhetoricum spectant. Si quid venustiùs, si quid elegantiùs, si quid concinniùs dictum videbitur annotabis indice, aut asterisco apposito. Verborum compositionem inspicies, orationis decora scrutabere, authoris consilium indagabis, quâ quidque ratione dixerit. Ubi quid te delectaverit vehementiùs cave præter casam (quod aiunt) fugias, fige pedem, ac abs te ipso rationem exige, quare tantopere sis eâ ratione delectatus, cur non ex cæteris quoque parem ceperis voluptatem. Invenies te acumine, aut exornatione aliquâ oratoriâ, aut compositionis harmoniâ, aut, ne omnia persequar, simili quapiam causâ commotum fuisse. Quòd si aliquod adagium, si qua sententia, si quod adverbium vetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breviter, acutè aut alioquin ingeniosè dictum esse videbitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito ad usum, & ad imitationem. His diligenter curatis, ne pigeat quartò iterare. Nam hoc habent eruditorum virorum summo ingenio, & summis vigilijs lucubrata scripta, ut millies relecta magis magisque placent, semperque admiratori suo novum miraculum ostendant. Id quod tibi in tabulâ tuâ sæpenumero; nec sine causâ laudatâ evenire solet, quod ante a non animadvertisses: idem tibi multò ampliùs in bonis auctoribus eveniet.

Releges igitur quartò, ac quæ ad Philosophiam, maximè verò Ethicen, referri posse videantur, circumspicies: si quod exemplum quod moribus accomodari possit. Quid autem est ex quo non vel exemplum vivendi, vel imago quædam, vel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchrè aut turpiter factis quid deceat: quid non, juxta videmus. Hæc si facias, jam vel edidisceris, quanquam aliud egisti. Tum demum si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit

rit, aut certè perquam exiguus. Quid deinde? Restat ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, vicissimque aliorum audias, alia laudabis, alia reprehendes, tuas partim defendes, partim castigare permittes. Postremò, quod in aliis laudâsti, tuis in scriptis imitari conaberis. Secreta studia à doctis laudantur: at ita ut postea è latebris in arenam prodeamus, viriumque nostrarum periculum faciamus, Id quod sapientissimè à Socrate est dictum, Experiamur utrum partus ingeniorum vitales sint, nimirum obstetricum industriam imitari. Quare alternatim utrisque utetur, qui non vulgariter volet evadere doctus, Vale.



FINIS.




JOAN.
DISPAUTERII
NINIVITÆ
ARTIS VERSIFICATORIÆ Compendium.

Accessit appendix de Accentibus, Item de Figuris Liber.

Prioribus editionibus longè emendatior

Editio Novissima.



EDINBVRGI.
Excudebat JOANNES REID,
Anno DOM. M. DC. LXXXVI.

DE PEDIBUS METRICIS.

Pyrrhichius geminis brevibus fluit, & salit acer.
Spondeum longis liquet & constare duabus.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur *Iambus*.
Quòd si longa brevem præcedat, habeto *Trochæum*.
Dactylus ingreditur longâ, brevibusque duabus.
At geminis fertur brevibus longaque *Anapæstus*.
Tres brevians *Tribrachys* rapido volat ocior Euro.
Vult *Proceleusmaticus* brevibus constare quaternis.
Longa, duæque breves, & longa; creant *Choriambum*.

ARS VERSIFICATORIA.

LIBER X.

Carminis, & metri, seu versûs definitio.

QUID est Carmen? Oratio strictiore pedum lege coërcita, & ornatissimum dicendi genus. Unde dicitur carmen? A canendo, quòd sit aptum cantibus. Non, quod lenocinio vocis cantanda sint carmina, sed cum quadam gravitate pronuncianda. Nam autore Cæsare, qui benè legit carmina, benè cantat: qui verò benè cantat, malè legit. Quomodo aliter dicitur carmen? *Metrum*, ex eo quòd certâ pedum mensurâ carmen metiri soleamus. Quomodo aliter? *Versus*, quod tam diu verti debeat, quoad rectè constituatur: vel quod uno versu finito ad principium alterius vertamur.

De Pede.

Quid est pes? Syllabarum dispositio certo numero definita. Dicti autem sunt pedes, quia quemadmodum pedibus ambulamus sic carmina quibusdam quasi pedibus incedere videntur: vel quia per eos veluti scalarum gradus carmina scandimus. Quid est scansio? Legitima metri per singulos pedes distinctio. Dic aliquot ex vulgatioribus carmina. *Hexametrum, Pentametrum, Sapphicum, Asclepiadeum, Phaleucium.* Habesne super his regulas? Habeo. Ostende.

De Hexametro Versu.

Hexametrum senis carmen pedibus fit: & aptè
Dactylus est quintus: sextam sibi vult regionem
Spondeus: reliquisque locis sit uterlibet horum.

Dic sensum. Carmen Hexametrum sex pedibus constat: quorum quatuor primi sunt Dactyli vel Spondei: quintus tantùm Dactylus, sextus verò Spondeus. Quid est Dactylus? Est pes constans tribus syllabis, quarum prima est longa, & duæ ultimæ breves: *Ut scribere carmina.* Quid est *Spondeus*? Est pes constans duabus syllabis longis: ut *Dantes*, *scribunt.* Affer exemplum carminis Hexametri?

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab oris. &c. venit.

Scande: *Arma vi* Dactylus, *rúmque ca* Dactylus, *no Tro* Spondeus, *iæ qui* Spondeus, *primus ab* Dactylus, *oris* Spondeus. Scande, i. distingue pedes; metire carmen, &c. Cur dicitur *Hexametrum*? Quia sex pedum ictibus ipsum metimur: ab hex, i. sex, & metron, i. mensura. Quid in id annotari præcipit Despauterius? Hæc sequenti regulâ contenta.

Pedes nothi, sive illegitimi in Hexametro.

Hæc te legitimè docui; nam sæpè Poetæ
Ista minus servant. Tu quanta licentia cautus
Est permissa vide, ne quando turpiter erres:
Namque rei gravitas quintâ in regione locavit
Spondeum: veluti, *Magnum Jovis incrementum.*
Datque pedes alios Maro: tu puer elige legem.

Explica. Heroici versûs pedes legitimi, i. ex carminis lege debiti, sunt Dactylus & spondeus: admittuntur ut tamen nothi, i. illegitimi, per poëticam licentiam, quam cavebis, quia raró occurrit, nec nisi in magnis operibus eorum Poëtarum qui extra omnem invidiæ aleam positi sunt. Poëtæ itaq; in quintâ regione sæpè spondeum locant, ubi rei gravitas & majestas significatur, aut mœror & languor: tamen id raró est faciendum. Virg.

Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

Idem *Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ*
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad undam?

Et iterum de Sinone maximam tristitiam, languorémque simulante, *Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit.* Hi versus *spondeaci* dicuntur. Quandoque sexto loco est Dactylus; sed vix, nisi hypermeter locum habeat, & una syllaba redundet. Virg.

At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.

Ob eam rem tales versus *Dactylici* appellantur. Reperiuntur & alij peregrini pedes in diversis locis hexametri, qui sunt Anapæstus, proceleusmaticus, nisi cæsuræ licentiam esse velis. Tu licentiam cavebis, nisi tantus fueris, quanti hi, apud quos ea licentia repiritur, & tum ita cautè, & ita parcè licentiâ uteris, ut veteres. Qui sunt hi pedes quorum modò meministi

meministi? Iambus est pes constans duabus syllabis, priore brevi, alterâ longâ: ut Doces. Anapæstus pes constans tribus syllabis; quarum duæ primæ sunt breves, & ultima longa.

Virg. *Proluit insano contorquens vortice sylvas*
Fluviorum Rex Eridanus: camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit.------

Proceleusmaticus, pes qui constat quatuor syllabis brevibus, ut Ariete: & vertitur in Dactylum per synæresin, quasi hoc i fiat consonans.

Hærent parietibus scalæ postesque sub ipsos.
Nituntur gradibus.

Est autem synæresis duarum syllabarum in unum propter versum contractio. Subjice reliqua.

Ultima versûs anceps.

Ultima cujusque est communis syllaba versus.
Ne credas esse in sextâ regione trochæum.

Ultima syllaba cujuscunque versûs est anceps: id est, communis pro arbitrio componentis.

Penthemimeris cum alijs cæsuris.

Per *Penthemimerim* brevis est producta licenter.

Penthemimeris, est ubi post duos pedes manet syllaba partem orationis finiens: veluti *Omnia vincit amor*.----hic post duos pedes. *omnia, vincit a*, manet syllaba *mor*, finiens hanc orationis partem, *amor*, cujusmodi syllaba invenitur licenter produci ratione cæsuræ, cum naturaliter sit brevis, ne dicatur tertio loco esse Iambus quem non recipit heroicum. Cæsura vel sectio est syllaba residua in fine dictionis post pedem absolutum, quæ, si brevis sit, licentiâ extenditur. Quatuor species habet. *Triemimerim*, ubi post unum pedem manet syllaba dictonem finiens. Virg.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Penthemimerim, ubi post duos pedes syllaba manet. Virg.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Hephthemimerim, ubi post tres pedes. Virg.

Dona dehinc aura gravia, sectoque elephanto.

Enneemimerim, ubi post quatuor pedes. Virg. Ecl. 6.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Pentametrum carmen.

Pentametrum vult quinque pedes: pes tertius esto
Semper *spondeus*; quartus quintusque *anapæstus*:
In reliquis *spondeus* erit vel *dactylus*, ut vis.

Pentameter versus constat quinque pedibus, quorum tertius semper spondeus est; quartus & quintus anapæstus, reliqui spondei aut dactyli, vel hi mixti: ut vis, Semper autem adsit Penthemimeris, sive cæsura: Exemplum, *Omnibus invedeas Livide, nemo tibi.* Metire; *omnibus*, dactyl. *invide*, dactyl. *as li*, spond. *vidi ne*, anapæst. *mo tibi*, anapæst. Alij scandendo post duos primos pedes faciunt cæsuram, deinde duos dactylos sumunt cum alterâ cæsurâ: sic,

Arte leves currus, arte regendus amor.

Arte le, dactyl. *ves cur*, spond. *rus*, cæsura, *arte re* dactyl. *gendus a* dactyl. *mor* cæsura. Unde dicitur Pentameter? A pente, i. quinque, & metron, mensura: quia quinque habet mensuras seu pedes. Pentameter versus cum hexametro junctus facit carmen Elegiacum, miserijs, alijs etiam rebus scribendis aptum, quale est Ausonij.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediêre loco.

Et debet cum eo sensum concludere, aut suspendere; ita ut in sequentibus duobus penitùs absolvatur. Aliquando tamen sententia protrahitur in multò plures versus, quod rarum est.

Asclepiadeum carmen.

Vult *Asclepiadis* versus *spondeon* habere
Principio: binos hinc rite capit *Choriambos*,
Pyrrhichius sequitur, quo non velocior alter.

Asclepiadeus versus constat Spondeo, duobus Choriambis & Pyrrhichio: ut Horat. Od. 1.

Mæcenas atavis edite Regibus. Distingue pedes, *Mæce* spondeus, *nas atavis*, choriambus, *edite re*, choriambus *gibus* Pyrrhichius. Alij sic, *Mæce* spondeus, *nas ata*, dactylus

vis

vis cæsura; *edite*, dactylus, *Regibus* dactylus. Quis pes Choriambus? *Qui* constat quatuor syllabis, quarum prima est longa, secunda brevis, quarta longa: ut *Nobilitas*. *Quis* pes *Pyrrhichius*? *Qui* ex duabus brevibus conficitur: ut *Deus*, unde dicitur versus *Asclepiadeus*? Ab Asclepiade inventore. Dicitur & *Choriambicum*. Sunt & alia duo Choriambicorum genera, de quibus consule Buchanani Prosodiam.

Sapphicum Carmen.

Quinq; pedes Sapphûs carmen capit: esse *trohæus*
Vult primus, quartusq; & quintus: tertius autē
Dactylus: ipse locum sumes *spondee* secundum.
Hoc carmen post tres versus sibi jungit *Adonis*
Metrum: quod sic fit, *spondeum dactylus* anteit.

Carmen *Sapphicum* constat trochæo, spondeo, dactylo, duobus trochæis; veluti, *Ut queant laxis resonare fibris.*

Metire, *Utque* trochæus, *ant la* spondeus, *xis reso* dactylus *nare* trochæus, *fibris* trochæus. Catullus sæpè duos trochæos primos ponit, quem imitatur Buchananus, *Psal.* 90.

Mox humi comis jacet arefactus.

Huic carmini post tres versus subditur *Adonium*, sive *Adonicum*, sic dictum ab Adone inventore, dactylo & spondeo constans: ut apud Severinum Boëthium. *Nubibus atris, condita nullum, &c.* Nomen habet à Sappho puella primùm hoc genere apud Græcos usâ. *Quid* est *trochæus*? Pes qui ex longâ & brevi construitur: ut *Solve*.

Phaleucium carmen.

Quum facies carmen, quod cōposuisse *Phaleucus*
Dicitur; in primâ *spondeus* erit regione:
Dactylus inde datur, triplicē cui junge *trochæum.*

Phaleucium constat spondeo, dactylo, & tribus trochæis: ut apud Catullum. *Passer deliciæ meæ puellæ.* Scande. *Passer* spond. *delici* dactyl. *æ me* troch. *æ pu* troch. *ellæ*, troch. Nomen accipit a Phaleuco inventore, & dicitur aliàs *hendecasyllabum*, quod sine Synalœphâ & Eclipsi undecim est syllabarum. Catullus in primâ regione usus est promiscuè Iambo

bo & Trochæo, de quo vidi Buchanani Prosodiam. Quæ sunt figuræ scansioni potissimum deservientes? *Synalæpha*, *Eclipsis*, *Synæresis*, *Diæresis*. Profer de his regulas.

Eclipsis & Synalœpha.

M necat *Eclipsis*, seu vocalem *Synalœpha*:
Dictio dum sequitur, quæ à vocali incipiatur.

Eclipsis est (m) literæ cum suâ vocali detractio, quoties dictio aliqua in (m) literam desinit, & dictio sequens à vocali inchoatur, ut in hoc versu.

Virtutem primam esse puta compescere linguam.

Scand. *Virtu* spond. *tem pri* spond. *messe pu* dactyl. (*a* & *m* detractis) *ta cum* spond. *pescere* dactyl. *linguam* spond.

Virg.--- *Multum ille & terris jactatus & alto.*

Scanditur sic, *Multil, let ter, ris ja, ctatus &, alto.*

Synalœpha, est vocalis detractio, quoties dictio in eam desinit, & sequens à vocali exordium sumit: ut,

Sera nimis vita est crastina, vive hodie. Scande.

Sera ni, mis vi, test cra, stina vi, v'hodiè. Quod si versus finiatur in (*m*) vel in vocalem, & sequens à vocali incipiatur, nulla erit eclipsis aut synalœpha, præterquam in paucis versibus, qui dicuntur *hypermetri*, ubi in versu fini o manet syllaba, in *(m)* vel in vocalem desinens, quæ à principio alterius versûs detrahitur, qui à vocali incipere debet: ut, Virg.

Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Adspicit, & dulceis moriens reminiscitur Argos.

Idem. *Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,*
Et folijs undam tepidi despumat aheni.

* *Vocalis non detracta, sed correpta tantùm.*

Non perimens longam raro breviare Poeta
Consuevit: veluti *sunt insulæ ore canendæ.*

Vocalis ante vocalem non semper detrahitur, sed aliquando longa solùm corripitur, quod notandum magis quàm imitandum. Virg. Et *longum formose vale, vale, inquit Iola.*

Credimus? an qui *amant, ipsi sibi somnia fingunt?*
Nunc magno nobis sunt insulæ *ore canendæ.*

Vocalis ante vocalem immutata.

Id

Id mirare magis, vocalem nil variatam
Interdum cernes: velut *Ionio immenso.*

Aliquando vocalis manet invariata: sed id quoque magis notandum quam imitandum. Ovid.

Jactari quos cernis in Ionio *immenso.*

Versus est spondiacus. Virg.

Et succus pecori *& lac subducitur agnis.*

O. & HEV.

Heu, o non perimes: at *o* interdum breviabis.

O & Heu, ante vocales integræ manent. Ovid.

O utinam tunc cum Lacedæ*mona classe patebat,*
Obrutus insanis esset adulter aquis. Virg.
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, O Alexi: Trahit sua quemque voluptas.

Ubi, O etiam corripitur: Ovid.

Heu ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebas? &c.

In his ergo Synalœpha nihil juris habet.

Vocalis ante vocalem in eâdem dictione absumpta.

Vocalem perimunt plerumq; in nomine eodē:
Sic Maro docte refers, *alvearia vimine textâ.*

Synalœpha fit nonnunquam in eâdem dictione. Virg.

Seu lento fuerint alvearia *vimine texta.* Scande alvaria.

Propert. Eosdem *habuit secum quibus est elata capillos.*

Scande, *osdabu, it se,* &c. Hæc contractio fit plerumque in possessivis in (*eus*) infinitis. Ovid. 12. Metamorph.

Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aureaque
Ex humeris medios coma dependebat in armos. Propert.
Ferreique *Eumenidum thalami.*------Sic contrahuntur.

Apud poëtas ablativi *eâdem & eodem.* Virg. in Bucol.

Uno eodémque igni.---Propert.
Hâc eâdem *rursus Lygdame curre viâ.*

Synæresis nulli vitanda.

Omnibus ista licent, *huic, cui, dii, diis,* quoque *dehinc, dein,*

Proin,

Proin, deest, semianimis, prout, deorsum, prehendere, seorsum,
Sic *ij*, sic *ijsdem*. Quædam divisa leguntur.

Synæresis est duarum vocalium naturaliter diversarum in unam contractio, ut Thesi pro Theséi. Phæton pro Phaëton: aurîs pro aureis. Virg. 1 Æneid.

Fit strepitus tectis vocémque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus auris.

In sequentibus solet esse licentia in carmine, *huic, cui, dij, dijs, dehinc, dein, proin, deest, semianimis, semiustus, semihomo, prout, deorsum, seorsum, prehendo, ij, ijsdem*: ut.

Huic *conjux Sichæus erat*. Cui *pendére sua patereris in arbore poma*. (Quædam divisa leguntur.) Nam *huic* disyllabum est Sidonio *Assurrexit* huic, *coxit quot torridus Auster*. Albinus. *Ille* cui *ternis Capitolia celsa triumphis*.

DIÆRESIS.

Scandere si benè vis, cognosce *Diæresin* aptè,
Ex unâ per quam duplex fit syllaba semper:
Sic *sylvæ* vates lyricus trissylabon effert.

Diæresis est unius syllabæ in duas divisio: ut *sylüæ* disyllabum est, sed vates lyricus Horatius per tres syllabas, sylüæ dixit: ideo notitia hujus figuræ ad scansionem necessaria est. In verbis Volvo & Solvo frequens est diæresis apud Poëtas: Catul. de passere. *Quod zonam* solüit *diu ligatam*.

Ovid. *Debuerant fusos* evolüisse *suos*.

Diæresis, id est divisio, Diaireo, id est divido.

I vocalis ubi putatur esse consonans.

Nominibus Græcis non consonat *i*. sed Hebræis:
Quapropter dices *Iacobus*, *Iambus*, *Iaspis*:
Profer *Iulus*, *Iapys*, *Ioannes* & *Iason*:
Suaveque ab indoctis laniatum nomen *Iesus*.

I litera nunquam in Græcis, sed sæpè in Hebræis est consonans, unde Iacobus quatuor syllabarum est, Iambus, Iaspis. Iulus, Iapys, Iason, &c. trium. Iesus autem trisyllabum est.

Quot sunt regulæ generales quantitatis syllabariæ? Duodecim. Cedo quæ?

Prima de Positione.

Dum postponuntur vocali consona bina,
Aut duplex; longa est positu. Quod si duo subsint
Finali, rarò positu producitur illa.

Vocalis naturaliter brevis, quam duæ consonantes continuò sequuntur, ita ut una consonantium in eâdem dictione ipsi vocali adhæreat, aut vocalis quem in eâdem dictione sequitur duplex x, & z: vel j consonans in medio dictionis non compositæ, inter duas vocales posita: ut Maja, producitur ea vocalis positione, sive positu consonantium, vel duplicis. Excipe in nominibus bijugi, trijugi, multijuges, &c. Cur dixisti *vocalis*? quia omnis syllaba gratiâ vocalis quanta dicitur. Cur dixisti, *ita ut una consonantium*, &c. Quia non oportet semper utraque in eâdem syllabâ locari sed una potest esse in fine unius dictionis, & altera statim in principio alterius dictionis sequentis: verbi gratiâ (*a*) in *at* corripitur, eadem, si consonans in principio sequentis dictionis ponatur, producitur. Virg. 4. Æneid.

At Regina gravi jamdudum saucia curâ.

Exempla regulæ sunt, Tempus, annus, lustrum, dixerunt, azymus, aio, &c. Consonans bis posita pro duabus habetur ut, prima in annus, &c. Declara illud, quod si duo subsint finali rarò, &c. Hoc est, Oportet ex ijs consonantibus alteram semper esse junctam cum vocali. Nam si qua dictio terminatur in vocalem brevem: & huic subjicio in versu dictionem, in cujus initio sunt duæ consonantes: fallor si puto illam vocalem finalem brevem posse produci positione, quanquam hoc factum aliquando reperiatur: ut apud Juven.

Occulta spolia, & plures de pace triumphos.

Occul spond. *ta spoli* dact. hìc *ta* longa est positione consonantium *sp*. sed quod tam rarum est, non est trahendum in exemplum.

Regula secunda de liquescentiâ.

Cum mutâ liquidam scribens in syllabâ eâdem
Ancipitem ponas vocalem, quæ brevis esset;
Hanc tamen in prosâ semper breviare jubemus.
Sunt *l*, *r*, liquidæ: queis rarò jungimus *n*, *m*.

Quando vocalem naturâ brevem sequuntur muta & liquida, eandem cum sequente vocali constituentes syllabam, ita tamen ut præcedens vocalis in eâdem dictione ponatur, ipsa est anceps in versu, in prosâ vero semper correpta. Mutæ sunt b, c, d, f, g, k, p, q, t: Liquidæ l & r aliquando n, m.

Ovid. *Et primo similis volucri, mox vera volucris.*

Virg. *Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.*

Ovid. *Tempus, Atla veniet, tua cùm spoliabitur auro Arbor.*

Sic ibidem. *Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas*, &c.

De *n* & *m* rariora sunt exempla: ut Arithmos, id est numerus: & cycnus, quæ corripiuntur. Horat.

Donatura cycni si libeat, sonum.

Versus est Asclepiadeus. Cur dixisti in regulâ *vocalem naturâ brevem*? Quia quæ sine positione producitur, nullâ liquescentiâ potest corripi: ut *Prima*. in Matrimonium.

Cur dixisti eandem cum sequente, &c. Quia alioqui liquescentia locum non haberet: ut abnuo, obruo, *&c.*

Regula tertia de Diphthongis.

Diphthongum produc in Græcis atque Latinis,
In Græcis semper: verum subeunte Latinâ
Vocali, brevio: veluti *præit*, atque *præustus*.

Omnis diphthongus naturaliter producitur tam in Græcis quàm in Latinis: ut Musæ, cœna, audio, euge. In Græcis quidem etiam subeunte vocali: ut Æacus, Oeagrus: in Latinis verò tum corripitur sæpiùs, ut præesse, prehendo, & omnia à præ composita, sequente vocali. Virg.

Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis. Ovid:

Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.

Quid est diphthongus? Duarum vocalium vim suam retinentium in eâdem syllabâ complexio. Unde dicitur? A dis, i. bis, & phthongus, sonus, quasi duarum vocalium sonus.

Quot sunt diphthongi? Sex, æ, œ, au, eu, ei, yi, ut *Sæpè*, fœnum, aula, Euterpe, treis, Harpyia.

Regula quarta de vocali ante vocalem.

Vocalis brevis ante aliam manet usque Latinis

*V*ocalis ante vocalem in Latinis dictionibus corripitur: ut Marius, Maria, Lucius. Lucia.

Sex Exceptiones. Ni

Ni capit *r*, *fio* produc: & nomina quintæ
E ſervant longum, ſi præſit *i*; ceu *ſpeciei*.
Anceps *ius* erit patrio; dic ſemper *alîus*:
Alterius brevio tantum: commune ſit *ohe*;
Caius & *Cai* produc: conformia junge.
Dianum varia: longa *aer dius*, & *eheu*.
Et patrius primæ, cum ſeſe ſolvit in *ai*.

Exceptiones ſunt ſex. *Prima*, fio producitur ubi abeſt *r*. ut fiebam, fiam: ubi verò adeſt *r* corripitur, ut fieri, fierem. *Secunda*; nomina quintæ declinationis producunt *e* ante *i* in genitivis dativiſque ſi præcedat *i*: ſicut ſpeciei: ſecus corripiunt: ut fidei, rei. *Tertia*, pronomina ſecundæ declinationis, & nomina habentia ſecundam declinationem pronominum variant *i* ante *us*, ut unius, illius, quæ in proſâ tantùm producuntur. Alîus in genitivo tantùm producitur: Alterius ſolùm corripitur. *Quarta*, ohe interjectio exclamantis, & ſatiati variatur. *Quinta*, Pompei, Cai, Vultei, ſimiléſque vocativi producuntur, & ubicunque *i* conſonans in vocalem vertitur, ut fit in Caius triſyllabo. *Sexta*, Diana primam habet communem. Aër, dius, & eheu, & genitivus primæ, cum ſolvitur in aï longam.

De vocali ante vocalem in Græcis.

Hîc Græci variant, nec certâ lege tenentur.

Græcorum quædam producunt vocalem ante vocalem: ut Aër, latria. Quædam corripiunt: ut, ſophia, de quibus non poteſt dari certa regula.

Regula quinta de derivativis.

Derivata patris ſervabit dictio normam,
Conſona ſi patris maneat: docet iſtud *aratrum*.
Multa tamen tolli vatũ monumenta docebunt.

Syllaba tanta eſt in derivato, quanta fuit in eâ primitivi parte undè immediate derivabatur, ſi conſonans primitivi maneat in derivato: ut Legi præteritum priorem producit: ergo etiam legeram, legerim, legiſſem, legero, legiſſe, quia à

legi

legi formantur. Lego autem priorem corripit, ergo etiam legebam, legam, legerem, &c. Item supinum *aratrum* producitur: ideò etiam quod ab illo fit *aratum* non positu tantum, sed naturâ ipsâ. Cæterum multa contra primitivorum regulas aut producuntur aut corripiuntur, quæ usu & lectione auctorum observabis.

Regula sexta de compositione.

Simplicis observat mensuram compositivum,
Quamvis diphthongus, vel vocalis varietur.
Hanc legem spernunt *dicus* à *dico*, *innubus* atque
Pronubus, *ambitus*, *nihilum* cum *semisopitus*,
Pejerat à *juro*, cum *dejerat*, *agnitus & cog.*
Connubium, varies ab *itum*, *comitia* dicas.

Compositum sequitur simplicis regulam, & contra; etiam diphthongo aut vocali mutatâ: ubique tamen sunt regulæ observandæ positionum & vocalium ante vocales; ut ludo colludo: lædo, illido, amicus, inimicus tabeo, contabeo: taceo, reticeo: facio, reficio. Sic per hanc regulam præpositiones in composione quantitatem priorem servant. Ut abeo, adamo, subeo, evoco, deduco, amoveo, &c.

Hanc legem, &c. Ab hac regulâ demuntur à dico nomina in *dicus*: ut Causidicus, maledicus, &c. A nubo, pronuba, innuba. Connubium variatur, Ambitus, ta, tum, participium ab ambio, ambis, producitur. Ambitus, nomen semper corripitur. Nihilum à ni, i. non, & hilum res nullius precij, utpote fabæ nigrum quod producitur: nihilum autem corripitur. Pers. Sat. 3.---*gigni*

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Sopio primam producit, & semisopitus eandem corripit: Cætera satis patent: præter comitium, quod à simul itando dictum volunt, & producit primam etiam, nempe com: licet eadem in coeo brevietur: nam coeo erat comeo, i. simul eo: sed fecit euphonia coeo. Præterea comitium antepenultimam producit, hoc est illud *i* ante *t*, cum idem sit breve in coitum, & in simplici itum.

SE & DI.

Se produc & *di*: præter *dirimo* atque *disertus*.

Se & *di* præpositiones Latinæ inseparabiles producuntur: ut segrego, diduco, &c. Corripiuntur tamen dirimo, disertus.

R E.

Est *re* breve: at *refert* à *res* producere debet.
Rejicit & reicit: Nam quæ *jacio* tibi format,
I prius interdum tollunt, ut corripiantur.
Addit, vel demit metri gravitate Poeta.

Re præpositio inseparabilis corripitur; ut Redeo, reditus pro annuo proventu, renuo. *At refert*, &c. Refert à res compositum producitur: alioqui corripitur. Rejicio à re & jacio producitur positu; quia in eo verbo j consonans est: ubi autem corripitur, j consonans abjicitur, quod etiam contingit in alijs compositis à jacio: ut adjicio, vel adicio: abjicio abicio: subjicio vel subicio, &c. Ea abjectio in prosâ barbarismum facit: in carmine in his compositis à jacio omnibus licet. Poëtæ profecto plerumque metri gratia aliquid addunt aut demunt, id in prosâ esset barbarismus, præterquam fortè in paucis jam olim in prosa admissis.

P R O.

Est *pro* breve in Græcis: *pro* lóngum ritè Latinis.

Pro, Græca præpositio pro *ante*, semper corripitur: ut prolepsis, prologus, Propheta, &c. *Pro*, Latina præpositio producitur: ut prodo, proficio. &c.

P R O *correptum.*

Corripias *pronepos*, *profugat*, *profugit*, *proficiscor*,
Et *procio* peto significans: cui junge *procello*,
Atque *profana*, *professa*, *profunda*, *profesta*, *profari*.
Sunt contra patrem correpta *profecto*, *protervus*.
Propino vario, *procuro*, junge *profundo*.
Sic benè doctè locas *propello*, *propago*, Lucreti.

Dictiones textui insertæ corripiunt *pro*, inter quas propino, procuro, profundo, propello, propago, propagas verbum variant: Propello quidem & propago apud Lucretium potissimum.

I & O *in compositis.*

Pars si componens fini prior *i* vel *o* donat,
Sit breve: *cunctipotens* & *Timotheus* manifestant.
Quod si non semper manet *i*, producito semper.

Habet hæc regula partes duas, quarum prior est, Dictiones compositæ, sive Latinæ sive Græcæ, terminantes in *i* primam partem compositionis, breviant *i*: ut Bifidus, trifidus, sesquipes, semivir, vitisator, &c. Posterior, Dictones Græcæ terminantes in *o* primam partem compositionis, breviant illud *o*: ut Dorothea, Samothracia, Timotheus. *Quod si non*, &c. Hoc si ex declinatione tantum proveniret, produceretur: ut Tantidem, tanticunque. Sic si partes compositionis dividantur, & legantur seorsum: ut magni pendo. Vide plura octavâ Buchananeæ Prosodiæ regulâ.

Exceptio.

A *quotus* atque *dies* rectè variato: at *ibidem*
Et *tibicen* erit longum, cui jungis *ubique*.
Protrahit Ausonius *matricidam* gravitate.
Lagopus, *geolophus*, atque *Theophila* produc,
Cum *Leucopetrâ*: *Geometra* jungitur aptè.
Quod *medius* facit atque *dies*, producito semper.

A quotus & dies fit *quotidie*. Et hinc *quotidianus*, & variari potest utrumque. At *ibidem*, *tibicen* ubique producunt *i*, scilicet secundo loco positum. Ausonius metri gratiâ producit *matricida* in Monostichis Cæsarum.

Matricida Nero proprij vim pertulit ensis.

Alij *Matriquecida*, & sic corripiunt.

Lagopus avis leporino villo pedes habens. *Geolophus*, i. terræ tumulus: *Theophilus*, *Theophila* propria: *Leucopetra*, loci nomen, & interpretatur alba petra: *Geometra*, notæ significationis producuntur. *Meridies*, quasi medius dies, producitur semper: cui junge *pridie* & *postridie*.

Regula septima de præteritis dissyllabis.

Præteritiva tenent primam dissyllaba longam,
Tolle, *bibit*, *scidit*, & *fidit*, ac *tulit*, ortaque *do*, *sto*.

Præterita disyllaba producunt priorem ut Veni, feci, vidi, &c.

Tol-

Tolluntur sex, bibi, scidi, fidi, tuli, dedi, steti, quæ breviant

Regula octava de geminatis præteritis.

Corripiunt binas geminantia: ceu *ceciderunt.*
Tolle *ceciderunt* à *cædo*: à *pedo pepedi.*

Præterita geminantia principium, primam & secundam syllabam corripiunt, nisi positio impediat: ut Tetigi, peperi, pepuli, tutudi. In cecîdi verò à cædo, & pepedi, prima tantum corripitur: ideo excipiuntur.

Regula nona de Supino dissyllabo.

Cuncta supina tenent primã dissyllaba longã:
Præter nata *sero*, *cieo*, *lino*, *sto*, *sino*, *sisto*,
Do, *ruo*, cum *queo*, *eo*, *reor*, At *staturus* atum dat.

Supina dissyllaba producunt priorem syllabam: ut visum: lusum, &c. *Præter nata sero*, &c. Eximuntur *satum* à sero, *citum* à cieo, *litum* à lino, *statum* à sto & sisto, *situm* à sino, *datum* à do, *rutum* à ruo, *quitem* à queo, *itum* ab eo, *ratum* à reor. *Staturus* contra primitivi naturam primam producit.

Regula decima.

Præ tum vocalem de *vi*, reliquis dabo longam.

Omne supinum non dictum, mutans *vi* syllabm in *tum*, producit vocalem ante *tum*: ut expeditum, petitum, &c.

Regula undecima, de verborum crementis.

A in crementis verborum.

A crescens produc: nisi cremento *dare* primo.

Crementum verbi est ubi exceditur secunda persona singularis numeri, præsentis temporis, indicativi modi, activæ vocis: quæ si defuerit, qualis foret ostenditur: ut *Amamus* crescit, quia excedit hanc personam *amas*, *Oscularis* crescit, quia si secunda persona activæ vocis foret, ipsa esset *osculas*. Vocalis in primo cremento est, quæ erat secundæ personæ ultima: reliquæ in secundo cremento esse dicuntur: *a* igitur in omni cremento producitur, ut amamus, legebamus, Excipitur in primo cremento *do, das, dare*, cum suis primæ conjugationis compositis: *Venundabam*, *pessundabam*, &c.

E *in crementis.*

Ni ſubit *r*, produc *e* ſemper: cum ſubit *r*, do
Cum ſocio ternæ breve præſens: protrahe *reris.*
Semper *e* corripitur præ, *ram*, *rim*, *ro*, *beris* adde;
In reliquis produc: quamvis *ſteterunt* Maro dicat.

E in utroque cremento producit: ut Amemus, amaremus, docemus, legebam niſi poſtponatur *r*: nam tunc corripitur omne præſens tertiæ conjugationis: ut Legor, legeris, legere, legeremus, legerem; (*Cum ſocio.*) Id eſt præterito imperfecto ſubjunctivi modi, Re ante re vel ris producitur: ut Legereris, legerere: E ante ram, rim, ro, ſemper corripitur: ut Legeram, legerim, legero. Sic amavèram. Beris vel bere corripitur: ut amaberis, amabere. Cætera producuntur: ut Steterunt, legerunt, qualia Virgilius, & plures licenter corripuere, nos non imitabimur: ut *Obſtupui, ſteterûntque comæ, & vox faucibus hæſit.*

I & U *in crementis verborum.*

I produc primo cremento, dummodò quartæ
Eſt verbum: debet ſemper producier *ivi.*
Corripe præteritis *imus* undique: *venimus* edit.
In ſubjunctivo *rimus*, *ritiſque* licenter
Invenies, dices *nolito*, *velimus*, & itis,
Et *ſimus*, *ſitis* produc. Erit *u* breve, non *o.*

I in primo cremento verbi quartæ conjugationis ſemper producitur; ut audimus, auditis, audire, audirem, &c. Ibam, ibo, &c. Item præteritum in *ivi* producit ubique *i* ante *vi*: ut Petivi, petiveram, *Imus* in omni præterito, corripitur: ut Venimus. audivimus. Niſi in ſubjunctivi præterito, in quo *rimus* & *ritis* licenter producuntur. Aldus ait *rimus* & *ritis* ubique corripi in præterito: in futuro, in proſâ produci, in verſu verò variari. Crementum per *i* in verbis ſum, nolo & volo, cum compoſitis producitur, ut Sitis, velitis, poſſimus, &c. O in cremento producitur, ut Amatote; U vero corripitur: ut Volumus: Cætera nota ſunt.

Regula duodecima, de nominum crementis.

A longũ, E que ſcies, ſimul O: ſic profer *earum*,

Mu-

Musarum, *rerum*, *dominorum*, sicque *dierum.*
U brevis Iq; manet, *verubus*, *gravibusq;* notabunt.

Crementum nominis, pronominis & participij, est excessus obliqui in syllabâ vel syllabis, supra nominativum ejusdem numeri, ut Puer pueri, qui quorum. In cremento autem plurali, *a*, *e*, *o*, producuntur; ut Harum, rerum, horum, *i* & *u* corripiuntur; ut artibus, artubus. Prima declinatio in singulari non crescit nisi pro æ dicatur *ai* de quo satis dictum est. Nec quarta nisi in dativo ubi est vocalis ante vocalem, ut dictum est. Ergo à secundâ auspicabimur.

Crementum secundæ declinationis.

Quæ sequitur primam, tantùm producit *Iberi.*

In secundâ declinatione unica producit penultimam genitivi, Iber Iberi, & ejus compositum, Celtiber, Celtiberi.

Tertiæ Crementum A *&* O.

Dic *atis* : *onis* ab *o* fer: *inis* breve: protrahis *enis*.
On si vertis in *o*, mensus sit, qui fuit ante.

A corripitur, ut poëma poëmatis, ab o producuntur onis & enis : ut Cato Catonis. Anio, Anienis. Inis ab o corripitur : ut Virginis, &c. Si Græca in on amittant *n* servant in obliquis quantitatem quam habuerunt : ut Agamemnon Agamemnonis: Briton, Britonis. Sic Brito, Britonis. Saxo Saxonis, Macedo Macedonis, &c. quæ corripiuntur.

C.

Dices *halecis* : nec spernes *Melchisedecis.*

Halec halecis : Melchisedec Melchisedecis, producunt penultimam genitivi.

D.

Davidis à *David* dices, *Bogudis Bogud* optat.

Duo in *d* corripiunt, Davidis, Bogudis. *Buchan.* Psal. 132.
Davidis esto memor. - - -

L.

Masculeum dat *alis* : neutrum formatur in *alis*
Elis cum *Solis* produc : reliquis breviatis.

Al *alis* masculini generis corripit penultimam: ut Sal salis, Hanibal, balis. Neutra producuntur: ut capital, talis, &c: Sic Michaelis, Danielis, &c. Et Sol, solis. Reliqua corripiuntur.

N.

On nimis incertũ est, *En inis* dat: cætera produc.

En inis corripitur: ut Nominis, Cætera producuntur: ut Pæanis, Sirenis, Delphinis, &c. De *on* nequeo dare certam regulam, nam multa producuntur: ut Babylon Babylônis, Cytheron Cytheronis, &c. Multa corripiuntur: ut Canon canonis, *Dæmon*, Dæmonis, Memnon Memnonis.

R.

Aris produco neutris. *Nectar*, *jubar*, aufer.
Protrahe *Nar naris*, *furis*, *veris*, *Recimeris*,
Byzer, *Ser*, & *Iber*: In *ter* Græcum *æthere* dẽpto.
Oris, ab *or* produc; cum neutris corripe Græca:
Arboris & *memoris* brevies, indictaque cuncta.

Aris ab ar neutri generis producitur: ut laquearis, &c Tolluntur nectaris, jubaris, & quædam propria Hamilcar, Hamilcaris; &c. *Protrahe Nar*, &c. Producuntur quæ sequuntur in literâ: Nar naris fluvij nomen. Fur furis, Ver veris, Ricimer Ricimeris viri proprium: Byzer Byzeris populus: Ser Seris, populus à Serâ urbe, apud quam sunt lanigeræ arbores, unde serica vestimenta conficiuntur, Iber Iberis, Hispanus.

In *ter Græcum*, &c. Græca in ter producunt penultimam genitivi: ut Crater crateris; Character characteris: Excipitur Æther ætheris. *Oris ab or produc*, *&c*. Produc oris ab or: ut amoris, &c. Sed corripe neutra, ut Marmoris, &c. Et Græca: ut Castoris, Hectoris, cum memoris, arboris, & cum omnibus non dictis: ut mulieris, gutturis, martyris, &c.

AS.

Atis ab as produc. Ab *anas anatis* breviato,
Cætera corripies, nisi *vasis*: dico *vadis vas*.

As atis porrigit: ut Pietas pietatis, &c. Demuntur Anas, anatis, avis, &c. Et mas maris, Vas vadis: & Græca mittentia genitivum in adis, ut Palladis, &c.

Es

E S.

Es breviat, nisi cum *locuples mercesque, quiesque*;
Sic *hæres*: Græcum jungo quod præbuit *etis*.

Es breviat penultimam genitivi: Miles militis; Interpres interpretis, Ceres Cereris, &c. Producuntur verò Locuples locupletis, Merces mercedis: Quies quietis, Hæres hæredis: & Græca quæ habent in genitivo etis: ut Magnes magnetis, Tapes tapetis, Lebes lebetis, &c.

IS.

Is breviat. Tollo *glis gliris*, quodque dat itis:
Et *Psophis*, *Crenis*, *Nesis*: Græcum quod in *n* fit.

In is corripiunt penultimam genitivi: ut Lapidis, Isidis, cineris, &c. Sed porrigunt Glis gliris: Et quæ habent itis: ut Dis ditis: Sic Samnis, Quiris, Lis & Psophis, Idis urbs: Crenis Crenidis, Nymphæ nomen, Nesis, Nesidis, Insula adjacens Campaniæ. Adde Græca in is, quæ per n etiam finiuntur, ut Salamis Salaminis, Trachys Trachynis.

OS.

Protrahit *os*, Tria corripiunt, *bos*, *compos*, *& impos*,

Os in obliquis penultimam producit: ut Rhinoceros, rotis, Custos custodis, flos, floris. Tros Trois, Heros Herois, Tria, Bos bovis, Compos compotis, impos, impotis corripiunt.

US.

Us breviat. Tollas præ *dis*, *ris*, *tis*, quod habebit
U: præter *pecudis*, *ligurisque*, *intercutis* addo.
At *melius melioris* habet: conformia junge.

Us penultimam genitivi corripit: ut Corporis, Velleris. Tripodis, Oedipodis, &c. producunt quæ habent utis, udis, aut uris: ut virtutis, subscudis, juris: sic incudis. Corripiuntur pecudis, Liguris à Ligus, & intercus intercutis. Comparativa producuntur: ut Melioris, &c.

BS. PS. MS.

Consona cũ præit *s*, patrij penultima curta est.
Hinc *Cyclops*, *seps*, *gryps*, *conops*, *cercops* removeto:
Plebsque, *Europs*, *hydrops*. Fuge *Cyclopis*, atq; *Dolopis*.

Nomen in *s* præcedente consonante: ut *bs*, *ms*, *ps*, penultimam

timam genitivi corripit; Lælaps Lælapis, nomen canis. Producuntur *Seps* sepis serpens, Gryps gryphis animal; Conops conopis, i. culex, Europs Europhis proprium regis. Hydrops hydropis aqua intercus. Cercops cercopis, populus à Jove in simias conversus, Ovid.

Quippe deûm genitor fraudem, & perjuria quondam
Cercopum exosus.---

Adde plebs plebis, id est vulgus.

(*Fuge Cyclopis, &c.*) Cyclops tantùm producitur contra *Sulpitium*, Dolopis verò corripitur, Cyclops, gigas unoculus

X

Præ *gis* vocalem brevio. Producito *lex*, *Rex*,
Ex icis abbreviat, *vibex* nisi. Cætera produc.
Præter *abax*, *smilax*, *Atrax*, cum *dropace*, *Candax*,
Fax, & *Athax*, *Pharnaxq*; *panaxq*; *storaxq*; *Colaxque*,
Pix, & *onyx*, *illix*, *histrix*, cum *mastiche*, *varix*,
Coxendix, & *Eryx*: *fornixque*, *calixque*, *Cilixque*.
Dic *silicem*, *salicem*, *laricem*, *natricemque*, *nivémque*,
Cappadocem, brevibus cum *præcoce* subjiciamus
Dux, *trux*, *nux*, *crux*, atq; *volux*. Variabo *Syphacem*,
Et *Bebrycem*, rarò nomen producimus istud.

Vocalis ante g corripitur: ut Remex remigis, Grex gregis, Phryx phrygis, &c. Sed producuntur Lex legis, Rex regis.

Corripe item icis ab ex, ut vertex verticis, &c. Unum producitur, vibex vibicis. Cætera producuntur in obliquis: ut Myrmex myrmecis: Halec halecis, &c. Quæ sequuntur in textu brevia ntur: ut Abax abacis, mensa numeratorum. Smilax similacis, species hederæ. Atrax Atracis, fluvius. Dropax dropacis, unguenti genus. Candax insula, vulgò Candia: Fax facis. Athax Athacis, fluvius, Pharnax viri proprium, panax panacis herba, quæ dicitur etiam panaces, & panacea. Storax storacis, genus aromatis: Colax Colacis, parasiti nomen, Pix picis, Onyx, Onycis, unguis & lapillus pretiosus. Illix illicis, id est fraudulentus. Histrix histricis, erinaceus. Mastix, mastichis, melius mastiches, resina lentisci

arboris corripitur. Mastix mastigis vel mastigos, flagellum, producitur. Hinc mastigia, id est verbero verberonis. *Va*rix varicis, plus æquo intumescens vena, Coxendix, Coxendicis, coxa: Eryx Eryeis, urbis montisque nomen: Fornix fornicis, arcus lapideus: Calix notum: Cilix Cilicis, populus. Filix herba Salix, Larix, laricis arbor. Natrix natricis, serpens. Nix nivis. Cappadox, Cappadocis, quispiam in Cappadocia natus. Præcox præcocis, præmaturus. Dux, trux cis, crudelis. Nux, crux, volux. Syphax, proprium viri, variatur, & Bebryx, populus rarò producitur.

De primis regulæ generales.

A solum trahit l, quodq; & dissyllaba *mamnas*,
E, dissyllaba d, simul l, tardant: sed & ns;
T, que, vel v, conso Cætera corripiunt.
I tardant d, vel l, n, & s, seu consonitans v.
M, vel r, in dissyl. Cætera corripiunt.
O *bogomoso*, dissyllaba d, modò tradant,
U, rapiunt, b, l, p, polysyllaba *t*, neq; solum u.

A in prima corripitur ante omnes consonantes simplices: præterquam ante *l*, & disyllaba *mamnas*. id est ante *m n s*. E corripitur ante omnes consonantes simplices in primis, præter dissyllaba *d* & *l*, & præterquam ante *n s r & v* consonantem, & præter dissyllaba in *m & r*. O corripitur nisi ante *b g m s*, & dissyllaba ante *d*. U vero producitur nisi ante *b l p*: & polysyllaba in *t*, ante *v*, cum aliâ literâ ut pluvia, nam si sola sit producitur, ut uva.

De medijs.

A tardant g, vel v, medijs: sed cætera curtant,
E, c, d, tardant, l, m, n, t, vel u, mihi sola.
I, nisi sit super v, vel q, poscit breviari.
O, medio tardant s, t, sed cætera curtant.
U, curtant b, vel f, l, p, seu consonitans v.
Dum subsunt medijs: cætera longa dabis.
Excipienda suæ ponuntur in ordine normæ:
Nunc satis est primam significasse viam.

A

A in media producitur ante *g* & *v* consonantem, ante cæteras corripitur. E producitur in medijs ante *c d l m t* & *v* consonantem, ante cæteras corripitur. I corripitur in medijs ante omnes, præterquam ante *q* & *v*. O producitur in medijs ante *s* & *t*, ante cæteras corripitur. U corripitur ante *b f l p*, & *v* consonantem, ante cæteras producitur. Exceptiones quærendæ sunt in codice *Despauteriano* majore, ubi omnia fusissimè explicantur. Hic enim satis est velut quoquo modo viam indicasse.

De ultimis, *A* terminale.

A declinatum brevia. Sed potrahe sextum,
Et quintum, cujus rectus producitur, & *Mna*.
Producunt nostri quædam muliebria Græca
In recto, ut *Tegea:* sine teste nihil volo tale.
Non declinatū produc. *Ita* cum *quia* demptis.
Et *puta* non verbo. *Ginta* meliùs loco longum.
Postea, & *ultra* leges cum *contra*, curta licenter.
Eia rapit Flaccus: *Sidonius Halleque luja*.

Ultima syllaba noscitur positu; ut post, ast, est, amant. Diphthongo, ut Heu, musæ. Regulâ; ut A declinatum corripitur, Musa, Anna, nominativi & vocativi casûs. Loquimur de declinatis per casus, non per tempora. *Sed protrahe*, &c. Ab hac regula tolluntur ablativi, quia producuntur: ut Musâ, meâ, lectâ, & vocativi à nominativis productis; veluti. Ænea, Anchisa, Atla. *Mna* monosyllabum cujuscunque casûs producitur; quia fit ex mnea per synæresin.

Producunt. A in nominativo Græco fœminini generis, à nostris corripitur: licet illi producant, veluti Scylla, Medea, Lerna, &c. Quosdam tamen nominativos nostri produxerunt ad imitationem Græcorum, sic tamen ut aliqua cæsurarum locum habeat, ideò nihil tale producemus sine authoritate idque facimus rarissimè: quia potuerunt in *e* terminari, ut Tegea vel Tegee, &c.

Non declinatum, &c. A in omnibus per casum non declinatis producitur: ut clama, frustra, præterea, supra, &c. Corripiuntur autem *ita*, *quia*, & *puta* adverbium. Numeralia in *ginta* rectiùs producuntur; ut Triginta. Produc quoque

præ

præterea, interea, postea, contra, ultra, quæ interim corripiuntur; Eia Valerius Flaccus corripit. Halleluja Sidonius. Laudate Dominum.

E in ultimis.

E brevia. Primæ produc, & nomina quintæ
Cum natis: addes pluralia cuncta Secundæ
Junge *doce* & socias. Monosyllaba longa repono,
Inclinativas præter. *Malè* cum *benè* demptis,
Omnia produces adverbia, siqua secunda
Præstiterit, summiq; gradûs adverbia quævis.
Sunt *ferme* atque *fere* producta, quibus dabis *ohe.*

E corripitur, ut docere Ganimede, Hercule, Achille, & similes Vocativi, & Ablativi tertiæ.

Primæ produc, &c. *E* in primâ & quintâ declinatione in quocunque casu reperitur, producitur; ut parasceue, Anchise, vocativi & ablativi, specie, die, re, hinc, hodie, pridie, postridie, quotidie, quare: Sic Fame, quia aliquando quintæ fuit. Produc quoque pluralia in *e* ut Cete, Tempe.

Secundæ, &c. Producitur omnis secunda persona vocis activæ, singularis numeri, præsen: temporis secundæ conjugationis, imperativi modi: ut Doce, Mone. Monosyllaba producuntur: ut Me, te, se, de. Hinc demuntur conjunctiones Encliticæ que, ve, ne, & in compositis: quisque nonne, &c. Producuntur adverbia in *e* ab adjectivis secundæ declinationis, sive comparantur sive non; ut piè, egregiè, æquè, doctè, &c. Corripiuntur tamen benè & malè, atque mage pro magis. Adverbia superlativi gradûs undecunque fiunt producuntur; ut Maximè, minimè, &c. Produc etiam fere ferme, & Ohe

I finalis.

I longum pono. Vocitantem contraho ternæ;
Sæpeque Græcorum ternum, *Minoidi* testis.
Sed *nisi*, sive *quasi*, *mihi*, *ibi*, *sibi*, *ubi*, variabis
Et *tibi*: junge *cui*. Tantum breve *moly* locatur.

I producitur, Corripitur verò cunctus tertiæ vocativus; ut Alexi.

Alexi, Amarylli, Phylli, &c. Dativus quoque tertiæ Græcus corripi invenitur; ut Pallidi, Minoidi, &c. Papin. 1 achil.

Pallidi littoreæ celebrabat Scyros honorem Forte diem.

Sed *nisi*, Variabis in literâ posita, inter quæ *nisi*, & *quasi*, rectius corripiuntur. *Cui* sæpius est monosyllabum. *Moly* tantum breve, herbæ nomen.

O in fine.

O cõmune datur. Produc monosyllabâ jungens
Cum terno sextum, atq; adverbia nomine nata
At variabo *citò*, cum *sedulò*, *mutuò*, *crebrò*,
Seròque: Sit curtum *modò* solùm: sed breviari
Ergo pro causâ non vult. Produco quaterno
In casu nomen, fit cujus in ûs genitivus.
O patrij produc, variaque gerundia verba

O variatur, ut Cato, Leo, Apollo, &c. Producuntur tantùm monosyllaba; ut sto, do, flo, &c. Producuntur tantùm dativi & ablativi; ut Domino meo, amato, &c. Producuntur tantum & adverbia ex nominibus ducta, ut tantò, quantò, falsò, primò, &c. Variantur autem citò, sedulò, mutuò, crebrò, serò, modò, adverbium pro solùm corripitur. Ergô pro causa producitur. Produc Græcum in *o* faciens genitivum in *us*; in nominativo, dativo, accusativo, & ablativo; ut Dido, Clotho, Argo, Clio, Sappho, &c. Genitivus in *o* producitur tantùm, ut Apollos Appollo, Androgeos Androgeo, &c. *V*ariáque gerundia verba: ut *V*irg.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Tibul.

Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.

V. & B.

U semper produc; *B* contrahe: Barbara deme.

U produc, ut JESU. B corripitur: ut ab, ob, demuntur Barbara in B, quia producuntur: ut Job, Aminadab, Jacob, &c.

C *in ultimis.*

C produc: præter *nec*, *donec*. Sed variabis
Hic bene pronomen: *fac* verbum jungimus isti.

C producitur, ut Sic, corripiuntur nec, donec. Hic adverbium producitur: pronomen variatur, ut Fac verbum.

D. & T.

D breve ponatur, ceu *t*; nisi syncopa fiat.

D corripitur, ut Apud, Bogud, sic finita in *t*, ut caput, amat, docet: nisi aliquando per syncopen producantur: ut Fumât pro fumavit: obiît, pro obivit.

L.

L breve sit: cum *sol*, *sal*, *nil*, tolluntur Hebræa

L corripitur, ut Hannibal, Hiempsal, mel, fel. Producuntur Sol, nil & sal. Hebræa quoque producuntur, ut Michael, Raphael, &c.

N

N produc Demas *an*, *in*, & prolem, *tamen*, atq;
Forsitan, & *forsan*, *viden'*, huic conformia junges.
Quod dat *inis* curtũ est velut *on*, quod tertia nescit
Corripitur quartus quando brevis ultima recti est.

N producitur, ut Hymen, Titan, Delphin. Et omnia nomina tertiæ in *on*, ut Agamemnon. Tolluntur à regula *an*, *in*, cum prole, *dein*, *exin*, *subin*, *proin*, *tamen*, *attamen*, *forsitan*, *viden'*, & quæcunque per Apocopen *n* habent: ut men' pro mene, ten' tene, egon' egone, &c. *Quod dat.* Corripe *n* habens *inis* in genitivo; ut pecten, crimen, &c. Corripitur quoque in *on* nomen secundæ declinationis quod Latini in *um* vertere solent: ut Ilion, Pelion, &c. Corripitur similiter Accusativus, cujus nominativi ultima corripitur; ut Medean, Maian. Accusativi à nominativis productis producuntur tantum; ut Ænean, Anchisen.

R.

R brevies. Produc cujus dat patrius eris:
Addito *Iber*, *aer*, *æther*. Sit *Celtiber* anceps.
Vir, *cor*, non longum meliùs. Producito tantũ.
Cur, *far*, *lar*, *nar*, *par*, *fur*. Vix prolem breviabo

R corripitur, ut Mulier, pater, mater, &c. Producuntur nomina in *er*, habentia *eris* penultima longa in genitivo; ut Crater, character, clyster, ver, &c. Iber, aër, æther adduntur. Celtiber variatur, ut vir. Ovid.

De grege nunc tibi vir, & de grege, taurus habendus.

U Et

Et cor quod tamen meliùs corripitur: producuntur tantùm cur, far, lar, &c. Et par cum compositis impar, *&c*: quæ non omnino rectè breviantur quandoque.

A S.

As produc. Sed *adis* quæ dāt patrio, breviantur:
Et ternæ quartus; vates novus Elias inquit.

As producitur; ut [illegible]ras. Corripiuntur tamen omnia nomina tertiæ, quorum genitivus in *adis* vel *ados* desinit, ut Arcas. Ovid. *Quatuor autumnos Pleias orta facit.*

Corripe quoque accusativum pluralem tertiæ in *as*; ut Rhetoras, *&c*. Baptista Mantuanus corripuit Elias.

ES.

Ponitur *es* longum. Pluralia corripe Græca
Quæ crescunt, velut *es* de *sum: penes inquies* adde
Cum neutris: & si patrio est penultima curta
Ternæ. Tolle *Ceres*, *aries*, *paries*, *abies*, *pes*.

Es producitur, sut Anchises, Dares. Corripiuntur autem omnia Græca pluralis numeri tertiæ declinationis crescentia in singulari, veluti Dæmones, *Vascones*, Britones, pæanes, delphines, crateres, castores, gigantes, pyxides, *&* quàm plurima alia. Es à sum corripitur, ab edo producitur, *&* penes præpositio, *&* inquies nomen. Corripiuntur nomina neutri generis; ut Hippomanes, Cacoëthes. Juven.

--tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Corripiuntur nomina tertiæ in *es* penultimam genitivi corripientia: utpote quæ itis, etis, aut idis penultima brevi obtinent: ut Miles, teres, deses, *&c*. Producuntur solùm Ceres, aries, *&c*. Pes apud Poëtas anceps est. Auson, in Gryph. de numero ternario scribens.

Qui bipes, & quadrupes, mox & tripes, omnia solus.

IS.

Is brevio. Verùm plurales protraho casus:
Isque quod in patrio mutatur in *itis* & *inis*,
Aut *entis*. *Tethys* vario, *glis*, *vis* quoque nomen
Cum verbo longum est: veluti persona secunda

Pro-

Protrahit *is*, quoties *itis* plurale reponit.
In subjunctivi *ris* est commune futuro.

Is corripitur, ut inquis, quis, *&c.* Producito dativos & ablativos plurales in *is*; ut Queis plurale. Dominis, *&c.* Item treis, omneis, *&c.* Produc etiam nomina in *is* quæ penultimâ longâ faciunt genitivum crescentem in itis vel inis; ut Lis, Dis, Samnis, Salimis: Aut in entis, ut Symois, Pyrois *&c.* Tethys variatur. Produc ad hæc glis, vis, sive nomen sive verbum cum suis; ut sis pro sivis, quamvis, utervis, *&c.* Producuntur etiam secundæ personæ singulares, quando plurales habent itis penultimâ longâ, ut velis, nescis. Futurum in subjunctivo anceps est.

Horat. *Dixeris egregie, notum si callida verbum*
Reddiderit junctura novum. ------ Ovid.
Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.

OS.

Os Produc. Patrius brevis est, & *compos*, & *impos*:
Osque ossis præbens. Rectos breviato secundæ.
Os recti produc, quoties tibi patrius *o* dat.

Os producitur; ut Flos, nepos, *&c.* Corripitur quicunq; genitivus in *os*: ut Pallados, Tydeos, *&c.* Et *compos* & *impos, os ossis* breviantur. Os oris producitur: Omne nomen in *os* secundæ declinationis: ut Samos, synodos, *&c.* corripitur.

Producuntur & nomina quæ per quartam declinationem Atticam faciunt genitivum in *o*: ut Athos, Androgeos, *&c.*

US

Us correpta datur. Monosyllaba cum genitivis
Ternæ vel quartæ produc numerique secundi
In quartâ primũ, quartũ, quintumq; & in *uris*
Dumve *utis* patrius, vel in *udis* & *untis odisve* est,
Aut quintus fit in *u* longus tum rectus habetur,
Ergo produces venerabile nomen IESUS.

Us corripitur: ut tempus, pecus, *&c.* Producuntur verò monosyllaba: ut pus, thus, rus, *&c.* Et genitivi tertiæ:

Chius, Didus, *&c.* Et genitivi quartæ, & in plurali ejusdem declinationis nominativi, accusativi, & vocativi: ut visus, manûs: Et in uris, *&c.* Producitur us in nominativo singulari ubi genitivus terminatur in uris & utis, vel udis: ut Tellus, virtus, palus. Horat. Palus in arte poëtica corripit.

Regis opus: sterilisque diu palus aptaque remis.

Simile est, ubi genitivus desinit in untis: ut Cerasus cerasuntis, opus opuntis, *&c.*

Græca quoque à pus producuntur: ut Shiopûs, Melampûs, *&c.* Produc quoque ubi vocativus in u desinit: Panthus, quia vocativus est Panthu. Sic, quia per ou dipthongon scribitur, doctissimi produci testantur adorandum Domini & Dei nostri nomen IESUS.

De decem vitijs in carmine vitandis.

Barbara nulla inerit vox, aut incongrua metro,
Nulla redundabit nulla integritate carebit.
Nil transponetur, nil confundet malè sensum.
Nec rapies longam nec produces breviandam.
Nec post vocalem, nec post *m* versu in eodem,
Partibus à varijs vocalis rite sequetur,
Syllaba ni pereat præcedens, ut modò dixi.
Nec succussantes, nec pones mollè crepantes.
Nec paucis numeris tibi multa licere putabis.
Nec tibi propones nisi sũmos quosq, imitandos.

Monemur vulgata decem vitia in carminibus contexendis vitare. Primò, ne barbarum vel incongruum quicquam admisceamus. *S*ecundò, ne quid redundans aut deficiens sit ut qui, quoque, aut alias particulas propter metrum duntaxat ingerunt. *Q*ui pedum nimis, aut non satis ponunt: qui sensum non explent aut frustrà repetunt. Tertiò, ne quid malè transponatur. *Q*uartò, ne sensus confundatur. *Q*uintò, Syllabarum quantitas non violabitur. Sextò, nec post vocalem, nec post *m* ponetur in eodem versu dictio incepta à vocali, nisi fiat Eclipsis aut Synalœpha. Septimò, non ponemus succussantes literas, syllabas aut pedes: ut

O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti.

Octa-

Octavò, ne quid sit affectatè nimis, turgidè aut molliter sonans. Nonò, vitabitur in parvo poëmate magna licentia. Et decimò, cavebimus ne non probati authoris carmina imitemur.

BREVIS ACCESSIO DE VARIA Carminum apud Poëtas nominatione.

1. NOnnunquam Carmina abinventoribus sua nomina sortita sunt, aut ab ijs qui plurimùm ea usurparint, *Sapphicum, Asclepiadeum*, à Sappho puellâ, & Asclepiade Medico inventoribus: *Archilochium, Hipponacticum*, quod id genus metri frequentiùs usurparint Archilochius, Hipponax.

2. Nonnunquam à pede prædominante, ut *Iambicum*, *Dactilicum*, in quibus versibus Iambus, & Dactylus potiores & primas partes occupant.

3. Sæpè à scansione, & pedum numero. *Monometrum*, quòd duos pedes habeat, quale est Adonicum: *Dimetrum*, quòd quatuor pedes: *Trimetrum*, quòd sex: *Tetrametrum*, quòd octo: A monos unicus, dis bis, treis tres, tetras quatuor, & metron mensura: siquidem perpetuò in Iambicis, Trochaicis, & Anapæsticis, duo pedes unam solummodo mensuram sive metrum constituunt: cum in reliquis carminum generibus singuli per se pedes singulas suas mensuras expleant.

4. Nominantur etiam à versuum numero. *Monastichon*, ubi unus est versus: *Distichon*, ubi duo: *Tetrastichon*, ubi quatuor: *Hexastichon*, ubi sex: *Ogdoastichon*, ubi octo: *Decastichon* ubi decem, *&c.* Pro versuum numero. A monos unicus, dis bis, tetras quatuor, hex sex, ocdo octo, deca decem, & stichos versus.

5. Sic ab argumento *Epithalamium*, carmen nuptiale: *Epicedium*, *Epitaphium*, emortuale carmen. Ab epi super & thalamos thalamus, cedos funus, & taphos sepulchrum. *Genethliacon*, natale carmen: à genethle ortus. *Bucolicum* pastorale, quod hoc ornamenti sibi peculiare habet, quòd quàm sæpissimè, si commodè fieri possit, quarto loco Dactylum requirat. A Buculos bueulus. *Georgicon*, quòd de agricultura tractat. A georgos agricola. *Heroicum*, quod heroum res gestas enarrat.

6. A syllabarum numero. *Hendecasyllabum*, quod undecim syllabas habeat, ut *Phaleucium*, vulgò sic κατ' ἐξοχὴν, i. per eminentiam vocatum, & Sapphicum. Ab hendeca undecim, & syllaba. *Pentasyllabum* quòd quinque syllabas habeat: ut Adonicum. A pente id est quinque, & syllaba.

7. Alquando à syllabarum defectu, vel redundantiâ *Acatalecticum*, quod suis absolutum numeris in nullo redundat aut defecit, aba, i. sine & catalego desino. *Catalecticum*, quod unâ syllabâ deficit; à catalego. *Brachycatalecticum*, cujus fini deest pes integer. A brachys brevis & catalego. *Hypercatalecticum*, in quo una redundat syllaba. Talis versus in Heroico est Hypermiter, ubi syllaba illa residua principio sequentis versûs inter scandendum conjungitur. Ab hyper super, & catalego.

8. Sæpè à misturâ carminum diversorum. *Monocolon* uniforme est, ut Heroicum. *Dicolon*, bimembre est, ut Elegiacum. *Tricolon* habet tria genera commista, ut Asclepiadeum, cum Pherecratio Heroico, & Glyconico. Horat. lib. 1. Od. 5. 14. 21, *&c.* *Dicolon Distrophon*; quod ex duobus diversis compositum carminibus, & postea eadem usque genera repetit. *Dicolon tetrastrophon*, cum post tres ejusdem generis versus, quartumque alterius modi ad primum reditur, ut Sapphicum cum Adonico Dimetro. *Tricolon tetrastrophon*, cùm post tres diversi generis versus ad primum reditur. Ut est Od. 16. lib. 1. & passim alibi apud Horat. & Buchan. A colon membrum, & strepho verto. Quin & quælibet etiam genera suas habent variationes multiplices, ut in Hexametro videre est, cujus species 47. literatores observârunt. Alius enim est Heroicus reciprocus, ut *Musa mihi causas memora, quo numine læso.* Retrogradus sic, *Læso numine quo memora caussas mihi musa.* Alius est recurrens, qui metro stante, neque literis loco motis, ut ab exordio ad finem, sic à fine ad exordium relegi potest ut hoc Hexametrum.

Si benè te tua laus taxat suâ laute tenebis.

Et hoc Pentametrum.

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Aliquando Reciprocus mutat sensum, ut hic Philelphi in *Pium secundum.*

Laus tua, non tua fraus: virtus, non copia rerum,

Scandere

Scandere te fecit hoc decus eximium.

Convertitur hunc in modum.

Eximium decus hoc fecit te scandere, rerum,
Copia, non virtus; fraus tua, non tua laus.

Correlativus, qui correlationes habet.

Pastor, arator, eques pavi, colui, superavi,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Cui similis hic Glascuensi Pærorio insculptus.

Hæc domus odit, amat, punit, conservat honorat,
Nequitiem, pacem, crimina, jura, probos.

Quem sic resolves, *Hæc domus odit nequitiem, amat pacem, punit crimina, conservat jura, honorat probos.* Et sic de cæteris.



FINIS.



DE ACCENTIBUS EX PROSODIA *Georgij Buchanani.*

ACcidunt & ſyllabis toni tres: acutus, qui eas attollit, ut Dóminus. Gravis, qui deprimit, ut in ſyllabis *mì* & *nùs*. Circumflexus, qui & tollit & deprimit, ut *môs*. Sed corruptus pronunciandi uſus fere acutum cum circumflexo contundit.

Regula prima.

Monoſyllaba omnia attolluntur, & quæ longa naturâ ſunt; circumflectuntur, ut *Lâus*, *frâus*.

Excipe.

Tres particulæ quæ vocantur encliticæ, quod accentum præcedentis dictionis ad ſe trahant, ac ſic eleganter tanquam pars ejus eſſent. Hæ enim non ſecus atque in unâ dictione adjectione ſyllabæ mutant accentum, ut

Corpora corporáque, ſic *homines hominéſque*.

Virg. 3. Georg. ---*tectúmque larémque*,

Armáque, *Amyclæúmqne canem*, *Creſſámque pharetram*.

Regula ſecunda

In diſyllabis penultima habet accentum, ut in *bónus*, *rárus*, *pânis*.

Regula tertia.

In polyſyllabis è tribus ultimis una ſemper attollitur, nec ultima unquam. Si in polyſyllabis penultima longa ſit, ea attollitur, ut *Românus*, *ſenêſco*.

Si penultima brevis ſit, quæ eam præcedit attollitur, ut *Dóminus*, *Virgílius*, *Virgílij*, *corpóribus*, *córpori*.

Hæc eſt vera accentuum ratio: cui qui plura adjiciunt, mihi videntur timuiſſe, ne hæc pars abſque magiſtri operâ comprehendi poſſet, ideoque rem per ſe facilem objectis tenebris obſcurare voluiſſe. Eorum errorem vir doctiſſimus Julius Scaliger ſatis luculenter in libro de cauſis Grammatces redarguit

DE

DE FIGURIS.
LIBER XI.

Figuræ definitio.

ARte novata aliquâ dicendi forma figura est,
Sunt ejus species, *Metaplasmus*, *Schema*, *Tropusq;*
Quas manifestatis vitijs reserabimus amplè.

Figura est arte aliquâ, novata forma dicendi. Figurarum notitia est Poëtis, Oratoribusque necessaria.

Figuræ species sunt tres: *Metaplasmus*, *Schema*, *Tropus*.

Cæterum fuerit operæpretium vitiorum naturam antè manifestare, ut ea à figuris separare sciamus.

De vitijs.

Vitia orationis generalia sunt tria. Barbarum, obscurum, inordinatum. Barbaræ orationis species sunt duæ, *Barbarismus*, *Solœcismus*: Ejusmodi vitia utpote in primis vitanda declarabuntur.

Barbarus est quisquis scribendo, sive loquendo
Verbum corrũpit : peregrinũ est *Barbara lexis*.

Barbarismus est unius dictionis corruptio, scribendo aut loquendo commissa, ut tollero cum duobus ll. Busiris penultimâ correptâ. *Barbara lexis*, est dictio peregrina, ut guerra, bladum, stusa, fardellus, charteria, *&c.* *Barbarismus* dicitur à Barbarus, id est dissonans, quia à verâ Latinitate dissonat, & dissidet. Barbarismus in prosa nomen suum retinet, apud Poëtas Metaplasmus & Pathus nuncupatur. Ideo licet ex poëtis depromantur Barbarismi exempla, ne credas ipsos locutos esse barbarè, sive (ut Veteres sæpiùs dicebant) rusticè, sed intelligas Barbarismum fore, si quis ita loqueretur in prosa. Itidem censendum est de Solœcismo, cui Schemati apud Poëtas nomen est

Esto *Solœcismus*, vitiosa oratio quævis.

Solœcismus, est impar & inconveniens compositura partium orationis : ut *Acuta gladius*. *Salvete reverende Magister*.

Veteres

Veteres, Solœcum dixerunt potiùs, à quo Solœcisso solœcissas, i. incongruè loquor.

Obscuræ ignobilesque orationis species.

Obscuræ ignobilesque orationis species sunt octo: Acyrologia, Pleonasmus, Perissologia, Amphibologia, Tautologia, Macrologia, Eclipsis cum Aposiopesi, Ænigma.

Impropriè sumptum verbum dicatur *Acyron*.

Acyrologia, est impropria dictionis usurpatio: *Spero* pro *timeo*. *Accede ad hunc ignem*, i. ad hanc meretricem. Acyrologia vertitur impopria locutio, ab acyros, i. improprius, & logia, i. locutio.

Omne supervacuum *Pleonasmus* ritè vocatur.

Pleonasmus, est adjectio supervacua ad plenam significationem, ut---*sic ore loquuta est. Vidi his oculis.* Et interpretatur superabundantia, a pleonazo: i. plus quàm oportet facio aut dico.

Esto *Perissologus* tibi sermo superfluus omnis.

Perissologia, est adjectio superflua sine ullâ vi rerum: ut *Ibant quà poterant, quà non poterant, non ibant. Vivat Rex, & non moriatur.* Transfertur Perissologia superflua locutio: à perissos, i. superfluus, & est penè eadem quæ pleonasmus.

Amphibolon dubius Romanis sermo feretur.

Amphibologia est vitio composionis ambiguè posita sententia, ut *Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.* Et fit ab amphibolos, i. dubius. Rectius dicitur *Amphibolia*.

Tautologos verbis varijs rem signat eandem.

Tautologia, est diversorum verborum aut orationum eandem rem significantium inculcatio; ut *Ipse egomet venio, exultans redeoo, gaudensque revertor.* Tautologia dicitur à tautotes, i. identitas, & logia locutio.

Macrologos sermo nimium prolixus habetur.

Macrologia est longa sententia res non necessarias comprehendens. Virg. *Postera jam summo spargebat lumine terras*

Orta

Orta dies cum primùm alto se gurgite tollunt, Solis equi, lucemque elatis naribus efflant. Satis fuerat dixisse, *orta dies*: Macrologia, traducitur longus sermo sine necessitate: à macros, id est longus.

Eclipsis verbum: *Reticentia* verba subaudit.

Eclipsis unicum verbum. i. dictionem subaudit. *Reticentia* verò, i. aposiopesis, plures dictiones supprimit. Eclipsis, i. defectus seu defectio. *Terris jactatus & alto*,---deest, *in* Terent. *Quem ego si sensero*, deest *machinari fallaciam, & acerrimè puniam.*

Est *Ænigma* gravis nimiùm tibi sermo solutu.

Ænigma, est obscura sententia per obscuram similitudinem rerum: *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.* Significatur enim aquam in nivem converti, & ex eadem rursus effluere. Diomedes. *Mare concretum in cretâ ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludebat;* quo significatur sal in cretaceo salino, super mensam in quam manus talos jactabat. Ænigma dicitur ab ænittomai, i. obscurè loquor.

Inordinatæ orationis species.

Inordinatæ orationis species quinque: Tapinosis, Æschrologia, Cacophaton, Cacozelia, Cacosyntheton.

Magna *Tapinosis* tenui sermone recludit.

Tapinosis, est humilitas magnæ rei, non id agente sententiâ quod demonstrat; aqud Virg. *Dulichias vexasse rates*.---. Pro attrocissimè raptasse, ac laniasse; à tapinos, i humilis.

Æschrologus nobis obscœna oratio fertur.

Æschrologia, est vitio compositionis inverecunda oratio, aut compositio verborum obscœnæ significationis, *&c.* aut obscœna pronunciatio, ab aischros, i. turpis.

Est *caco* ritè *phaton*, quicquid sonat haud benè nobis.

Cacophaton, aut *cacephaton*, est obscœna pronunciatio, vel in compositione, vel in uno verbo. *Arrigere* apud Poëtas obscœnè capitur; ut *Arrige aures Pamphile.* Cacon, i. malum, phaton, dictum, hoc est malè sonans dictum.

Esto

Esto *Cacozelon* prava affectatio nobis.

Cacozelia, est per affectationem decoris corrupta sententia cum eo ipso dedecoretur oratio quo illam voluit author ornare, ut *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.* &c. Cacozelon, i mala affectatio, à cacos malus, & zelus affectatio.

Haud benè compositũ *Cocosyntheton* esto Latinis.

Cacosyntheton, est vitiosa dictionum compositio, vel indecens scriptura; ut ---- *versâque juvencũm Terga fatigamus hastâ.* Cacosyntheton transfertur malè compositum, A cacos malè, syn con, theton, positum.

Dictio transformata Poetæ sit *Metaplasmus*.

Metaplasmus, est transformatio quædam recti solitique sermonis in alteram speciem metri, ornatûs necessitatisve causâ; ut *cœlicorum induperator*: à meta, i. trans, & plasma, i. figmentum.

Metaplasmi species sunt quatuordecim: Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, Aphæresis, Syncope, Apocope, Ectasis, Systole, Diæresis, Synæresis, Eclipsis, Synalœpha, Antithesis, Metathesis.

Adjice principio quicquam, sic *Prosthesin* edes.

Prosthesis, est appositio quædam ad principium dictionis literæ vel syllabæ: ut gnate pro nate: retulit pro tulit: astat pro stat. Dicitur à pros. i. ad, & thesis positio, hoc est appositio.

Adjice quid medio, sic fiet *Epenthesis* aptè.

Epenthesis, est appositio quædam ad mediam dictionem literæ vel syllabæ: ut Relliquias, gemino ll, pro reliquias alituum pro alitum. Epenthesis dicitur ab epi & en, quæ conjuncta significant inter, & thesis positio, ut sit inter positio.

Adjice quid fini, pulchram facies *Paragogen*.

Paragoge, est appositio quædam ad finem dictionis: ut potestur pro potest: à para, i. ad: & agoge, i. ductio, hoc est adductio. Lucret. *Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.*

Aufert quid capiti Vates, ut *Aphæresin* edat.

Aphæresis, est ablatio de principio dictionis literæ vel syllabæ contraria Prosthesi: ut *pone metum*, pro depone: ab aphaireo, i. aufero.

E medio quicquam tollas, ita *Syncopa* fiet.

Syncopa, est ablatio de mediâ dictione literæ vel syllabæ contraria Epenthesi: ut audacter pro audaciter: à syn, i. con, & copto, incido. Est enim concisio: ut dixti, commôrat, pro dixisti, commoverat, *&c.*

Est *Apo* nempe *cope* quicquam de fine recidens;

Apocope, est ablatio de fine dictionis, literæ vel syllabæ contraria Paragogæ: ut Achilli pro Achillis; ex apo, i. ab, & copto scindo,

Ectasis extendit tibi jure puer breviandam.

Ectasis, est extensio syllabæ contra naturam verbi: ut Italia prima producta, quæ naturâ alioqui corripitur. Dicitur ab ecteino, i. produco. Eadem Diastole vocatur.

Producenda foret, quam *Systola* corripit ipsa.

Systole, est correptio syllabæ contra naturam verbi facta, contraria Ectasi: ut Aquosus Orion, primà brevi, pro Orion, primâ longâ, à Systello, i. corripio.

Syllaba per binas divisa, *Diæresis* esto.

Diæresis, est divisio unius syllabæ in duas: ut Aulai pro aulæ: à diaireo, id est divido.

Syllaba de binis est facta *Synæresis* una.

Synæresis, est conglutinatio duarum syllabarum in unam, contraria Diæresi: ut Phæton dissyllabum pro trissyllabo: à synaireo in unum contraho, quasi divisorum conjunctio.

M, necat *Eclipsis*, ceu vocalem *Synalœpha*.

Ellipsis vel *Eclipsis*, est *m* literæ cum suâ vocali ante vocalem elisio. *Synalœpha*, est vocalis ante vocalem interemptio in diversis dictionibus. *O curvæ in terris animæ, & cœlestium inanes!* *Eclipsis* ab ec & leipo, i. deficio, Latinè elisio. synalœpha, i. collisio: à Synaleipho, i. conjungo.

Antithesis fiet tibi, litera si varietur.

Antithesis, est literæ pro litera positio; ut Olli pro illi: ab anti, i. pro, & thesis positio, quasi unius pro alio positio.

Esto *Cacozelon* prava affectatio nobis.

Cacozelia, est per affectationem decoris corrupta sententia cum eo ipso dedecoretur oratio quo illam voluit author ornare, ut *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.* &c. Cacozelon, i mala affectatio, à cacos malus, & zelus affectatio.

Haud benè compositũ *Cocosyntheton* esto Latinis.

Cacosyntheton, est vitiosa dictionum compositio, vel indecens scriptura; ut ----*versâque juvencûm Terga fatigamus hastâ.* Cacosyntheton transfertur malè compositum, A cacos malè, syn con, theton, positum.

Dictio transformata Poetæ sit *Metaplasmus.*

Metaplasmus, est transformatio quædam recti solitique sermonis in alteram speciem metri, ornatûs necessitatisve causâ; ut *cœlicorum induperator*: à meta, i. trans, & plasma, i. figmentum.

Metaplasmi species sunt quatuordecim: Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, Aphæresis, Syncope, Apocope, Ectasis, Systole, Diæresis, Synæresis, Eclipsis, Synalœpha, Antithesis, Metathesis.

Adjice principio quicquam, sic *Prosthesin* edes.

Prosthesis, est appositio quædam ad principium dictionis literæ vel syllabæ: ut gnate pro nate: retulit pro tulit: astat pro stat. Dicitur à pros. i. ad, & thesis positio, hoc est appositio.

Adjice quid medio, sic fiet *Epenthesis* aptè.

Epenthesis, est appositio quædam ad mediam dictionem literæ vel syllabæ: ut Relliquias, gemino ll, pro reliquias alituum pro alitum. Epenthesis dicitur ab epi & en, quæ conjuncta significant inter, & thesis positio, ut sit inter positio.

Adjice quid fini, pulchram facies *Paragogen.*

Paragoge, est appositio quædam ad finem dictionis: ut potestur pro potest: à para, i. ad: & agoge, i. ductio, hoc est adductio. Lucret. *Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.*

Aufert quid capiti Vates, ut *Aphæresin* edat.

Aphæresis, est ablatio de principio dictionis literæ vel syllabæ contraria Prosthesi: ut *pone metum*, pro depone: ab aphaireo, i. aufero.

E medio quicquam tollas, ita *Syncopa* fiet.

Syncopa, est ablatio de mediâ dictione literæ vel syllabæ contraria Epenthesi: ut audacter pro audaciter: à syn, i. con, & copto, incido. Est enim concisio: ut dixti, commôrat, pro dixisti, commoverat, *&c.*

Est *Apo* nempe *cope* quicquam de fine recidens;

Apocope, est ablatio de fine dictionis, literæ vel syllabæ contraria Paragogæ: ut Achilli pro Achillis; ex apo, i. ab, & copto scindo,

Ectasis extendit tibi jure puer breviandam.

Ectasis, est extensio syllabæ contra naturam verbi: ut Italia prima producta, quæ naturâ alioqui corripitur. Dicitur ab ecteino, i. produco. Eadem Diastole vocatur.

Producenda foret, quam *Systola* corripit ipsa.

Systole, est correptio syllabæ contra naturam verbi facta, contraria Ectasi: ut Aquosus Orion, primâ brevi, pro Orion, primâ longâ, à Systello, i. corripio.

Syllaba per binas divisa, *Diæresis* esto.

Diæresis, est divisio unius syllabæ in duas: ut Aulai pro aulæ: à diaireo, id est divido.

Syllaba de binis est facta *Synæresis* una.

Synæresis, est conglutinatio duarum syllabarum in unam, contraria Diæresi: ut Phæton dissyllabum pro trissyllabo: à synaireo in unum contraho, quasi divisorum conjunctio.

M, necat *Eclipsis,* ceu vocalem *Synalœpha.*

Ellipsis vel *Eclipsis,* est *m* literæ cum suâ vocali ante vocalem elisio. *Synalœpha,* est vocalis ante vocalem interemptio in diversis dictionibus. *O curvæ in terris animæ, & cœlestium inanes!* *Eclipsis* ab ec & leipo, i. deficio, Latinè elisio. synalœpha, i. collisio: à Synaleipho, i. conjungo.

Antithesis fiet tibi, litera si varietur.

Antithesis, est literæ pro litera positio; ut Olli pro illi: ab anti, i. pro, & thesis positio, quasi unius pro alio positio.

X Est

Est *Meta* nempe *thesis*, si transponas elementum

Metathesis, est literarum in alium locum transformatio nullâ literâ è dictione sublatâ : ut Evandre, Tymbre, pro Evander, Tymber : à meta id est trans, & thesis positio quasi transpositio.

Præpositura quidem mutata, *Parallaga* fiet.

Prothescôn parallaga, aut parallage, est præpositionum mutatio, cum altera pro alterâ ponitur : ut Æneiad. 6. *Cui de te tantum licuit*. --- pro in te. Prothesiôn parallage transfertur præpositionum mutatio, à pro, i. præ, antè, & thesis positio.

De *Schemate*.

Schemata dant species tibi *Lexeos*, & *Dianæas*.

Schema, est quicquid à simplici atque in promptu posito dicendi modo, vel poëticè vel oratoriè mutatur.

Schematis species sunt duæ : *Dianæas*, i. mentis, vel sensûs, vel sententiarum. *Lexeos*, i. dictionis, verborum, sermonis, orationum.

Schematis autem Lexeos species multæ sunt, sed necessariæ traduntur per quas similes colligentur ; Prolepsis, Zeugma, Hypozeuxis, Syllepsis, Asyntheton seu Dialyton, polysyntheton, anadiplosis, Anaphora, Epanalepsis, Epizeuxis, Paronomasia, Schesis onomatôn, Paromœon, Polyptoton, Hyrmos, Climax

Schema transfertur cultus, figura, habitus. *Dianæa*, i. sententia, *Lexis*, dictio.

Per partes referat totum, aut post facta *prolepsis*.

Prolepsis est præsumptio rerum ordine secutarum, vel cum numerus anté verbo redditur, quàm personæ definiantur : ut

Interea Reges ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, &c.
--- *bigis it Turnus in albis*,
Tum pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Et juxta Ascanius magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, &c.

Prolepsis item est, quum id quod posteriùs accidit, ante tempus adscribitur : 1. Æneid. --- *Laviniaque venit*

Littora --- Lavinum enim nondum erat, quum ad Italiam venit Æneas. Et ita Prolepsis refert post facta, i. quæ posteà contigerunt.

Et dicitur prolepsis, a pro, id est ante, & lepsis sumptio.

Verbo uno plureis sensus per *Zeugma* recludo.

Zeugma est unius verbi conclusio, diversis clausulis aptè conjuncta: ut *Adversatur libidini castitas, avaritiæ liberalitas, mediocritati luxuria, modestiæ superbia, strenuitati acedia.* Zeugma interpretatur adjunctio, à zeugnyo jungo.

Jungit *Hypozeuxis* sua rebus verba quibusque.

Hypozeuxis, est figura zeugmati contraria, ubi suum cuique clausulæ redditur verbum. Virg. *Regem adit, & Regi memorat nomenque, genusque. Quidque petat quidve ipse ferat.*

Verbo uno varia est *Syllepsis* clausula nexa.

Syllepsis, est diversarum clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, veluti, Virg. *Hic illius arma, hic currus fuit.* ---A syn, i. con, & lepsis captio: ut sit conceptio.

Copula supprimitur, quò fiat *Asyntheton* aptè

Asyntheton, est oratio sine conjunctionibus necessariò subauditis: ut *Dum ætas, metus, magister prohibebant*; à privativa particula a sine, syn, i. con, & theton id est positum, quasi incompositum

Copula multiplicata facit *Polysyntheton* usque:

Polysyntheton est oratio multis nexa conjunctionibus. Virg. ----. *Athamásque Thoásque,*

Pelidésque Neoptolemeus, primúsque Machaon.

A poly, i. multum, & syntheton, i. compositum, quasi multipliciter compositum.

Est *Anadiplosis*, repetunt ubi carmina finem.

Anadiplosis, est versûs finis, in principio alterius repetitio: ut ----*sequitur pulcherrimus Astur,*

Astur equo fidens, & versicoloribus armis.

Ab ana id est re, iterum, & diplosis duplicatio.

Principiũ fit idem nonnunquam versibus aptè.

Anaphora, eſt relatio verbi ejuſdem, aut ſimilis per principia complurium verſuum; ut,

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus,
Nate patris ſummi, &c.

Ab ana, i. re iterum, & phora latio.

Principio & fini reperitur verſus eodem.

Epanelepſis, eſt cum eadem dictio, & principium verſus, & clauſulam tenet; ut,

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Et transfertur reacceptio ſive replicatio; ab epi & ana quæ conjuncta ſignificant, re iterum, & lepſis acceptio.

Dictio format *Epizeuxin* cum vi geminata.

Epizeuxis, eſt ejuſdem dictionis ſine medio geminato cum impetu pronunciationis; ut, *Meme: adſum qui feci, in me convertite ferrum, O Rutuli, &c.* Transfertur conjunctio aut combinatio.

In ſimili verbo ludit quandoque Poeta

Paronomaſia eſt veluti quædam denominatio, vel quoties aliud nomen efficitur de alio, ut Næ iſthæc incœptio, eſt amentium haud amantium; à para, id eſt juxta, & onomaſia denominatio.

Mobile cuique ſuum fixo connectitur aptè

Schesis onomatôn, eſt cum ſingulis nominibus epitheta connectuntur. *Marſa manus, Peligna cohors, feſtina virum vis.*

Componitur ex nominativo ſcheſis, i. habitus, & genitivo onomatôn, i. nominum quaſi habitus; vel habitudo nominum.

Principiis eadem eſt *Paromœon* litera multis.

Paromœon eſt quando ab eiſdem literis diverſæ dictiones ſumunt initium: *Machina multa minax minitatur maxima muris.* Paromœon, *i* ſimile, a para, *i* juxta, & homoios ſimilis.

Verborum ſimilis ſit finis Homœoteleuton.

Homœoteleuton, eſt quum ſimili modo plurimæ dictiones finiuntur: ut *Bella horrida bella.* Dicitur ab homoios, *i.* ſimilis & teleuton, *i.* finitum.

Caſus

Casus *Homœoptoton* erit similis tibi multus.

Homœoptoton est oratio uno similique casu compacta, & excurrens in eosdem & similes casus. Ennius, Mœrentes, flentes, lacrymantes ac miserantes: ab homoios, *i.* similis, & ptosis casus.

Bella *Polyptoton* varii sit clausula casus.

Polyptoton, est oratio casuum varietate distincta, aut clausula varios casus retinens.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas:
Imprecor arma armis.

Et dicitur a polys, id est multus; & ptosis, *i.* casus.

Sermonis series, prælonga vocabitur *Hyrmos.*

Hyrmos, est series aut constructio orationis continuæ, tenorem suum in multos versus protendens. Virg. 6. Æneid.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit.

Et dicitur Hyrmos, quasi syrmos, *i.* tractus, a syro, *i.* traho.

E verbo in verbum *Clymax* it pulchra figura.

Clymax, est de verbo in verbum gradatio, quæ dicta repetit & priusquam ad aliud descendat in prioribus resistit: ut *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Transfertur scala vel gradatio.

De *Tropis.*

Vertit ad impropriũ, *Tropus* omnia significatũ

Tropus, est verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio: ut Vulpes pro astuto. Bacchus pro vino. Dicitur a trope, *i.* versio vel mutatio.

Tropi species sunt tredecim; Metaphora, Catachresis, Metalepsis, Metonymia, Antonomasia, Epitheton, Synecdoche, Onomatopœia, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole, Allegoria, Homœosis.

Propter rem similem pro verbis verba repones.

Metaphora, est rerum verborumque per similitudinem translatio; ut *rident prata*, a metaphorein, *i.* transferre.

Esto *Catachresis* bona vocis abusio nobis.

Catachresis, est usurpatio nominis alieni: ut parricidam

matris quoque, aut fratris interfectorem dicimus: quum proprie sit patris, à cata, i. contra, & chresis, i. usus, quasi contra usum.

At *Metalepsis* erit transumptio facta gradatim.

Metalepsis, est transumptio graditim facta; cum dictio aliud à sua propria significatione ex his quæ præcesserunt denotat; ut *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* Virg. Ec. 1.

Post aliquot aristas, ergo post segetes, & sic post æstates, & deinde post aliquot annos: à meta, i. trans, & lepsis sumptio vel acceptio.

Dico *Metonymiam*, *Bacchum bibo*, *Vina coronant.*

Matonymia, est nominum transmutatio, quoties pro inventore inventum, pro continente contentum, pro efficiente effectum, pro possesso passessorem, aut contra capimus. Metonymia transfertur nominis transmutatio: à meta, i. trans & onoma, i. nomen.

Appellativum proprij vice sæpè locatur.

Antonomasia est vocabulum quod sine nomine positum proprio ejus loco fungitur: ut Magnanimus Anchisiades, pro Ænea, Saturnia pro Junone. Transfertur pronominatio aut pronomen: ab anti id est pro, & onoma, id est nomen.

Exornat carmen fixo benè mobile quadrans.

Epitheton, est appositum nomini adjectivum, perpetuam ferme naturam rei indicans: ut *Alma Ceres, pulchra Venus, tristia bella*: ab epi, i. ad, & theton positum: quasi appositum.

Cum pars pro toto contràve, *Synecdoche* habetur.

Synecdoche, est figura cum à parte totum intelligitur, aut contrà: numerusque pro numero sumitur; ut

Da requiem puppi, veniet cum frigidus annus.

Pro navi & hyeme. Transfertur comprehensio.

Sæpè sonus causam fingendi nomina præstat.

Onomatopæia, est dictionis ex sono confictio: ut Mugio, pipio, hinnio: ab onoma, id est nomen, & poieo, id est fingo: Unde est nominis fictio.

Rem circũloquimur fit quando *Periphrasis* aptè.

Periphrasis, est circumlocutio quædam, cum id quod uno

aut

aut paucioribus verbis dici potest, pluribus explicatur. Virg.

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Id est dies oriebatur, dicitur à peri, id est circum, & phrasis locutio: ut sit circumlocutio.

Valde turbatus vocum sit *Hyperbaton* ordo.

Hyperbaton, est transcensio quædam verborum ordinem perturbans. Virg. Æneid. 12. 161.

Interea Reges; ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehetur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt:
Solis avi specimen. Bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo.
Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius (magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris.---

Hyperbaton, verbi transgressio transfertur, ab hyperbiano, id est transcendo. Cujus species sunt quinque: Hysterologia, sive Hysteron Proteron, Anastrophe, Parenthesis, Synchysis, Tmesis.

Hysteron est *proteron* postponans si ante locanda.

Hysteron proteron est sententiæ cum verbis ordo mutatus. Virg. *Et torrere parent flammis, & frangere saxo.*

Prius enim frangunt saxo quam torrent. Alij nolunt esse Hysterologiam. Hysteron, id est ultimum vel postremum. proteron, id est prius. Hysterologia, præpostera locutio.

Ordo inversus erit tibi *Anastropha* præposituræ.

Anastropha, est verborum tantùm ordo præposterus; ut *Italiam contra, maria omnia circum.* Anastrophe est eversio vel inversio ab anastrepho.

Interjecta *Parenthesis* est sententia quævis.

Parenthesis. est interpositio diversæ sententiæ, ut

Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum, ad naveis præmittit Achatem.

Transfertur interpositio.

Synchysis est prorsum vocum, aut confusio sensus.

Synchysis

Synchysis est hyperbaton obscurum, & omni parte confusum; *Tres notus abreptas in saxa latentia torquet.*

Saxa vocant Itali, mediis quæ influctibus aras.

Synchysis est confusio: a syn, id est con. & chysis fusio.

Quoquam interposito per *Tmesis* verbula scindo.

Tmesis est unius compositi vel simplicis sectio, unâ dictione vel pluribus interjectis: veluti,

Est Boreæ, regio septem subjecta Trioni.

Tmesis dissyllaba dictio est, idem significans quod sectio; a temno, *i.* scindo. Eadem vocatur *Diacope*, *i.* intercisio.

Excessus fidei manifestus *Hyperbola* fertur.

Hyperbole est oratio excedens fidem, augendi, vel minuendi causâ: Augendi, ut Nive candidior: Minuendi, ut vix ossibus hærent; ab hyper, *i.* super, & bole vel bolos, *i.* jactus.

Dic *Allegoriam*, sensu si verba repugnent.

Allegoria, est tropus quò aliud significatur, aliud dicitur, & ita verba sensu, *i.* sensui repugnant.

Virg. 2. Georg.

Sed nos immensum spatio confecimus æquor:

Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

Id est, quæ tractanda fuerunt, affatim explicuimus. Dicitur ab allo & agoreuo, *i.* ab aliud agendo.

Illudens sermo rectè *Ironia*, feretur.

Ironia, i. dissimulatio aut illusio qua contraria ostenduntur sensui, quam verba præ se ferunt: ut

Egregium verò laudem & spolia ampla refertis,

Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen.

Et dicitur ab eironeuomai, quod est dissimulo, & cavillatoriè decipio.

Antiphrasis verbum sit per contraria dictum.

Antiphrasis est unius verbi Ironia: ut bellum, quòd minimè bellum: sic & lucus quòd minimè luceat. Antiphrasis est per contrarium locutio: ab anti id est contra, & phrasis locutio.

At *Charientismos* tibi molliet aspera dictu.

Charientismos, est tropus quo dura dictu gratiùs proferantur: ut si interroganti. *Num me quæsivit quisquam?* Respondebis,

debis, *Bona fortuna*, i. nemo. Charientismos, i. gratificatio & urbanitas.

Sermo procul notus, festivo *Paræmia* fertur.

Paræmia, est accommodatum rebus & temporibus proverbium: *Lupus est in fabulâ*, i. adest is cujus in præsentiâ loqui vetamur: à pera, i. juxta, & oime, i. cantus vel cantilena, quasi juxta omnium cantilenam.

Sarcasmos nobis hostilis risio habetur.

Sarcasmos, est plena odio atque hostilis derisio, ut Pyrrhus ad Priamum. ---- *Referes ergo hæc, & unicus ibis*

Pelidæ genitori, illi mea tristia facta,

Degenerémque Neoptolemum narrare memento.

A Sarcazo, diducto rictu, & carne nudatis dentibus irrideo, quod à sarx caro.

Simplicitas, *Asteismos* erit, si rustica desit.

Asteismos, est tropus multiplex, numerosæque virtutis. Nam est quicquid rusticâ simplicitate caret, & facetâ satis urbanitate exprimitur: ut apud Virgilium in Bucol.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mœvi;

Atque idem jungat vulpes. & mulgeat hircos.

Dicitur ab Asteios, i. urbanus.

Nota parum demonstrat *Homæosis* magè notis.

Homæosis, est rei minùs notæ per similitudinem ejus, quæ magis nota est demonstratio. Cujus species tres sequuntur: Icon, Parabola, Paradigma: ab homois, i. similis.

Est *Icon* quoties formæ benè confero formam.

Icon, est personarum inter se, vel eorum, quæ personis accidunt, comparatio: *Os humerosque Deo similis.* ---- Icon iconis, i. imago vel similitudo.

Jure disertus erit quisquis rem comparat aptè.

Parabola, est rerum genere dissimilium comparatio: ut

Quales mugitus, fugit cum saucins aras

Taurus: & incertam excussit cervice securim.

Parabola dicitur adjectio: à para, i. juxta, & bole jactus; à ballo, jacio: ut sit adjecta cuique rei comparatio.

Exemplum facti vel dicti sit *Paradigma.*

Paradigma, est exempli hortantis vel dehortantis enarratio

tio. Hortantis, *Antenor potuit medijs elapsus Achivis*
Illyricos penetrare sinus, &c. Dehortantis.
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledeamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.

Paradigma est exemplum: à Paradignyo, i. exemplifico à para i. juxta, & digma, i. signum.

Miscellanea reliquarum figurarum declaratio.

Multa figurarum descriptio nomina sumit.

Figurarum descriptiones varijs è rebus varia sortiuntur nomina: ut descriptio Temporis, *Chronologia*, Loci, *Topographia*, Natalis, *Genethliacon*, Pugnæ, ut *Monomachia*, duorum singulare certamen: *Naumachia*, pugna navalis.

Invenies versum repetitum sæpè decentur.

Epimone, est ejusdem versus frequens repitito. Virg.
Incipe Mænalios mecum mea tibia, versus.

Intercalaris versus dicitur. Interpretatur perseverantia & insistentia: ab epimonôs, i. constanter.

Respondere solent scriptores objiciendis.

Anthypophora est ad objicienda responsio: ut
Sum pius, heu doleo, nam mihi sæpè nocet.

Posset queri, Cur doles te pium esse? Huic tacitæ quæstioni sic occurritur, nam mihi sæpè nocet. Anthypophora est solutio, Hypophora namque objectio dicitur: ab anti, i. contra & hypophora quasi contra objectionem.

Quas tibi declarat *Syntaxis* non repetemus.

De apposicione, evocatione, conceptione, prolepsi, zeugmate, antiptosi, synthesi, & synecdoche, &c. quæ in Syntaxi dicta sunt, haud operæprecium fuerit hîc repetere, itaque illis supersedendum censeo.

Rem nimis ut notam ferimus nos sæpè tacere.

Parasiopesis, est quum aliquid nos reticere dicimus, utpote omnibus notum: ut suspicionem excitare majorem reticendo possimus: qnale est illud, *In præsentiâ, judices, injussu populi quæ improbissimè gesserit, reticebo.* Dicitur à para, i. apud, ad, præter, & siope, i. silentium.

Fingere personam rés est percrebra Poetæ.

Prosopopœia, est personæ fictio, quoties inanimatum.

ad animatum loquitur, aut contrà animatum ad inanimatum Ovid. *Parve, nec invideo sine me liber ibis in urbem.*

Hei mihi quòd domino non licet ire tuo!

Et apud eundem in Metamorph. ubi terra loquitur. Dicitur à prosopon: i. persona, & poieo, facio vel fingo.

Laudatur verbi repetitio facta decenter.

Epanodos, est cum decore dictionis repetitio, sive regressio plerumque cum negatione, & interdum sine ea sit: *Principatus bonus est. &c. Non bonus autem, qui in tyrannidem convertitur.* Fit ex epi & ana, quæ conjuncta iterum vel retro indicant, & hodos via, quasi in priorem viam regressio, sed omittitur aspiratio in composione.

Virtutum vitijs interdum nomina dantur.

Paradiastole est cum rem nostram dilatamus per interpretationes: ut, Cum astutum sapientem vocamus, prodigum liberalem, temerarium fortem. Componitur ex para, id est juxta, & diastole, i. dilatatio.

Hendiadyn facies solvens in mobile fixum.

Hendiadys, est figura cum resolvitur substantivum in adjectivum: ut---*Chalybem frœnosque momordit*, pro chalybeos frænos.---*Pateris libamus & auro*, pro aureis pateris.

Ab hen, id est unum: & dia, id est per: & dyo, i, duo, quando unum per duo dicitur.

Quando pati quod agit fero, contràve *Hypallage* habetur.

Hypallage, est figura, cum verbum per diversum intelligitur, quum quod patitur, agere dicitur, aut contrà; ut, *Trade rati ventos*, pro trade ratem ventis. Ex hypo, i. sub; & allage, i. mutatio

Liptote erit quoties plus significans minus aio.

Liptote, figura est qua minus dicimus quàm significamus, ut haud parum doctus, i. multum à leipomai, i. deficio. Rectiùs dicitur Litotes, i. tenuitas; à litos tenuis: nam liptote est vox tantùm ex eo corrupta: sed versus non admittet litotes.

Antithneton fiet quoties contraria nectes.

Antithneton, est figura qua contraria contrarijs opponuntur; ut, *Frigida pugnabant calidis humentia siccis,*

Mollia

Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Antitheton, i. contra positum; ab anti, contra, & theton positum.

Quæstio *Erotema* est inter numerata figuras.

Erotema, est interrogatio ut,

Quis furor, O Cives? Quæ tanta licentia ferri.
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?

Ab Erotao, i. interrogo.

Dicta prius declarat *Epexegesis* apertè.

Epexegesis, est antè dictorum expositio vel declaratio: ut *Tolle fugâ Turnum, atque instantibus eripe fatis.* Dicitur ab epi, i. supra & exegesis. i. expositio.

Emphasis est sensus major quàm verba recludat.

Emphasis, est figura altiorem præbens intellectum, quàm verba ipsa declarant: ut Juven. Sat. 1.

Semper ego auditor tantum? nunquámne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

In *ego* est emphasis apud Juvenalem. Emphasis transfertur significatio: ab Emphaino, i. demonstro.

Quod nihil ad sensum facit, esto *Parelcon* ubique.

Parelcon, est dictionis aut syllabæ nihil ad sensum facientis adjectio; ut *Adesdum, paucis te volo. Dum* parelcon est, syllabica adjectio. Dicitur à parelco, i. produco.

Ob pulchrâ vocem quid factum *Euphonia* fertur.

Euphonia, est mutatio quædam venustioris gratiâ soni; ut redeo, pro reeo; ab eu, i. benè, & phone vox, quasi bona vox.

Versus ad absentem dicitur *Apostropha* sermo.

Apostrophe, est ad absentem sermonis conversio, *Te nunc appello Africane*, &c. ab Apostrepho, i. averto.

Dic *Allœothetam* contra artem quid variatum.

Allœotheta, est accidentium contra artem mutatio; ut 1. Æneid. *Pars in frustra secant, verubúsque trementia figunt.* Continet enim sub se Antiptosin, Synthesin, & plures alias figuras: Et vertitur aliter posita; ab alloios, i. alius, & varius, & theton, i. positum, thesis, positio.

F I N I S.

DE PROSODIA LIBELLUS

AUTHORE

G. BUCHANANO

SCOTO.



EDINBURGI

Excudebat *JOANNES REID*,

M. DC. LXXXVI.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

HAbes, Lector, *breviter & perspicuè exposita quæ* G. Buchananus *tyronibus ad Poetices rudimenta censuit necessaria. Ille enim non doctrinâ modò, sed judicio vir incomparabilis, nullam hinc ingenij laudem (quam ex alijs scriptis, literatorum omnium judicio, satis amplam consequutus est) affectare voluit: verùm ad captum puerorum quibus solis hæc scripta sunt, se totum accommodavit. Quod si tanto viro, per occupationes, & graviora studia licuisset reliquas Grammaticæ partes, pari facilitate strictim percurrisse, Deus bone! quanta inde utilitas studiosæ juventuti accessisset? Vale.*



DE PROSODIA LIBELLUS.

VETERES Latini septemdecim Characteribus Literarum erant contenti, *a b c d e f g i l m n o p r s t u*.

Adjecta est *h*, quæ formam literæ, vim aspirationis haberet.

X y & z, peregrinæ sunt: *q* & *k* non necessariæ. Nam. *c q* & *k* eundem sonum reddunt. *X* ad pingendi modum compendium facit, pro *cs* vel *gs*; ut pro *necs* & *legs*, scribatur *nex* & *lex*.

Y, ad sonum Græcarum vocum exprimendum est necessaria.

Loco Του z veteres duplex *ß* scribebant: pro *Patrizo Patrißo*.

Dividuntur literæ in vocales & consonantes.

Vocales, *a e i o u*.

Consonantes, *b c d f g l m n p r s t*.

Dividuntur consonantes in mutas, & liquidas.

Mutæ, *b c d f g p t*. Liquidæ, *l m n r*.

Ad vocales adjicunt *y* Græcum, medium inter *i* & *u*, Nam ù Latinum respondet ου Græcorum diphthongo.

Vocales autem sunt dictæ, quòd singulæ per se syllabam & sonum prefectum faciant: ut *Eoa, Io, urit*.

Consonantes, quòd perfectum sonum; nisi cum alio junctæ, non edant,

Mutæ vocantur, quòd earum sonus obtusiùs, quàm aliarum consonantium, feriat aures.

Liquidæ autem, quòd subjectæ Mutis cursum orationis minùs remorentur: & vocalem brevem præcidentem non necessariò faciant longam.

Liquidæ etiam dici possunt, quâ ratione liquidam vocem dicimus: quod earum frequentia orationem non modò minus languidam, quàm mutæ; sed etiam grandiorem & sonantiorem reddat: ut Virg. 8. Æneid.

---*Rauco strepuerunt cornua cantu*. Lucan. lib. 1.

Pompejana reum clauserunt signa Milonem.

Quam ob causam reor easdem etiam Semivocales appellatas, quasi medio inter mutas & vocales sono.

Duæ

Duæ vocales, quoties in unam syllabam coalescunt, diphthongum efficiunt: ut *æs, Eurus, aula, fœtus*, est enim diphthongus duarum vocalium in una syllaba sonus.

In hac tamen vocalium conjunctione j & *v*, ambiguam vim habent: nam cùm prior in vocalem sequentem incumbit, vim consonantis induit: ut in *Juno, Venus, Jovis*.

I autem inter duas Vocales interjecta, pro duplici consonante accipitur, ut in *ajo* & *ejus*.

Sunt & aliæ duæ duplices, *x* & *z*: de quibus superiùs est dictum.

Ut è literis syllabæ, ita è syllabis pedes, è pedibus fiunt versus.

Hic ordo naturæ poscere videtur, ut primùm de syllabis, mox de pedibus, ultimo loco de versu dicatur: verùm ordo resolutionis hoc loco mihi videtur commodior quàm compositionis, Quare à versu incipientes, eum in sua membra resolvemus. Versus inde dictus videtur, quòd, cum cursus orationis ad certum numerum syllabarum venerit, iterum alium ordimur: ut.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit.---

Is ex pedibus componitur sic.

- *vv* | - *vv* | - *vv* | - - | *vv* |--
Optimo | *quæq ue di* | *es mise* | *ris mor* | *talibus* | *ævi.*

Hanc dimensionem versuum per pedes vulgò scansionem appellant; eamque commodè ad captum puerorum, in sinistræ manûs digitos collocant.

Genus versuum maximè vulgatum est, quod à materiâ *Heroicum*, à numero pedum *Hexametrum* dicunt.

Pedes unde versus componuntur disyllabi sunt quatuor.

Pyrrhichius è duabus brevibus, ut *Deus vv*

Spondeus è duabus longis; ut *Harpax*,

Iambus è brevi & longâ; ut *erunt v-*

Choreus è longa & brevi; ut *ardor v*

Hunc postremum vulgò *Trochæum* vocant.

Trium syllabarum octo.

TRibrachys è tribus brevibus, ut *ruere vvv*

Molossus è tribus longis, ut *fecerunt-- -*

Dactylus è longa & duabus brevibus, ut *omnibus vv*

Bacchius è brevi & duabus longis, ut *parentes v--*

An-

Antibacchius è duabus longis & brevi, ut *mentiris* - - v

Amphimacer è longa, brevi & longa, ut *sordidi* - v -

Amphibrachys è brevi, longa & brevi, ut *amare* v - v

Cæteræ pedes Oratoribus, quam Poëtis sunt usitatiores: præter *Proceleusmaticum* è quatuor brevibus, qui loco *Dactyli* vel *Anapæsti* interdum ponitur, & *Choriambum* ex *Choreo* & *Iambo* compositum, qui sui generis carmen *Choriambicum* facit.

Animadvertendum non omnes pedes supra enumeratos in omnium carminum genera convenire, sed alios alijs esse familiares. *Hexameter* versus, qui & *Heroicus* vocatur, recipit in quatuor primis locis *Dactylum*, vel *spondeum*, vel solos, vel mixtos, quinto rarò *spondeum*, in sexto rarò *dactylum*.

At tuba terribilem sonitum taratantara dixit. — Ennius.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit. --- — Virg. 1. Æneid.

Musa mihi causas memora, quo numine læso. — 1. Æneid.

Sylvestrum tenui musam meditaris avena — Eclog. 1.

Longus in angustum quà clauditur Hellespontus. — Ovid. 13. Metamor.

Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida;
Et steriles platani malos gessêre valentes. — Virg. 1. Georg.

Observandæ sunt in versibus dimetiendis figuræ. Nam ultima superioris dictionis vocalis à primâ sequentis eliditur:

Admovêre oculis distantia sidera nostris,
Ætheráque ingenio suppossuêre sua. — Ovid. Fast.

Item *m* cum sua vocali elliditur: ut

Et mortem et nomen Druso Germania fecit. — Ovid, Fast.

Item in versu *Hypermetro*, qui unâ syllabâ justo est longior, ultima vocalis versûs: aut *m* cum sua vocali à primâ vocali sequentis versûs eliditur; ut

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem
Et foliis undam tepidi despumat aheni. — Virg. 1. geor.

Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Adspicit: & moriens dulces reminiscitur Argos. — Virg. 10. Aeneid.

Item syllabæ plures in unam coalescunt; ut

Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei,

Notus amor Phœdræ, nota est injuria Thesei. — Virg. 1.

Ovid. 6. Fast. ---*Quin protinus omnia*

Virg 6. Aeneid, *Perlegerunt oculis.---*

Ec. lib. 4. *Quique f[illegible]at multo non deerit vulnere sanguis.*

Lib. 1. Epig. *Unus saepè tibi tota denarius arca,*

Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus,

Virg. 4. Geor. *Seu lento fuerint alveâria vimine texta.*

Bucha. in franciscano. *Dum Papa omnipotens Capitolii immobile saxum*

Accolet, imperiumque pater coleatus habebit.

Est praetereà quaedam licentia poetica, non illa quidem penitus rejicienda ut quâ usi sunt Poëtae doctissimi; sed non permittenda tyronibus donec sint firmiori judicio, & scribendi exercitatione aliquam facultatem sint consequuti cujus generis sunt haec, quod vocalem aut diphthongon longam non elidunt, sed ancipitem faciunt; ut

Virg. 3. Aeneid, *Insulae Jonio in magno, quas dira Celaeno,*

Harpyiaeque colunt aliae.---

Virg. 5 Aeneid, *Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,*

Virg. 1. Aeneid. *Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae*

Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?

Ovid Ep. ad Penelopen *O utinam tunc, cùm Lacedaemona classe petebat,*

Obrutus insanis esset Adulter aquis.

Virg. 2. Ecloga. *Te* Corydon, ô Alexi: *Trahit sua quemq; voluptas.*

Virg. 8. Ecloga. *Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Aut cum syllaba solvitur in duas: ut *terraï frugiferaï* pro *terrae, frugiferae*; *Metico, Suffetico*, pro *Metio, Suffetio*.

Fab. lib. 1. ex Enu. *Misit infectas Troia ruinas.*

Interim syllaba adjicitur: ut,

Seneca 10. *Romanus Graiusque, ac Barbarus Induperator.*

Juve. sat. ---*viamque Indugredi sceleris*---

Lucr. lib. 1. Pro ingredi. *Consilio induforo* pro in foro.

En. apud Ged. lib. 12. cap. 4. Interim in omnibus caesuris, syllaba brevis pro longâ ponitur: ut,

Virg. 4. Aeneid. ---*Pecudùmque reclusis*

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Virg. Eclo. 10. *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.*

Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.

Illi

Ille latus niveum molli fultus Hyacintho. Virg. 3. Æn.

Hæc licentia videtur durior in aliis versuum generibus, Vir. Ec. 6.

Fortis Herois, Erato, labores Differ.-- Stat. Syl. 4.

De Syllabis.

SYllabæ accidunt tempora & toni, longa syllaba duo habet tempora, brevis unum, Tempus enim nihil aliud est, quam mora in syllaba proferendâ, quam Musici vocis tractu, aut instrumenti percussione longiore vel breviore metiuntur.

Cognoscitur autem syllabæ qnantitas, aut exemplis, aut regulis: Exempla è Doctorum poëtarum scriptis petenda sunt.

E regulis prima sit hæc.

Vocalis etsi naturâ sit brevis, tamen positione fit longa, sequentibus eam aut duabus consonantibus, aut unâ duplice, in eadem cum vocali sylla-ba: ut *est, sunt, nex, nox,* aut diversis, ut *artis, partis, gaza, major*: aut in diversis dictionibus, modò altera saltem consonans adhæreat vocali.

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

In hoc versu, *ut, sit, in,* syllabæ breves, propter consonantes sequentes, pro longis habentur. Juven. Sat. 10.

ADMONITIO.

VOcalis naturâ brevis, sequente muta & liquida, non est necessariò longa: dicimus

enim *tenebræ, & tenebræ.*

Hercule supposito sidera fulsit Atlas. Ovid. Epist. Dejanirae

---*Electra Atlantide cretus.* Virg. 8. Æn.

SECUNDA REGULA

VOcalis ante vocalem in Latinis dictionibus

est brevis: ut *Deus.*

Excipe *aër*: ut

Lucan. lib. 1. *--Dum terra fretum, terrámque levabit*
Aër, & longi volvent Titana labores.

Et *dius*: ut

Pers. Satyr. 1. *--Ecce inter pocula quærunt*
Romulidæ saturi, quid dia poemate narrant.

Martia. lib. 12. Epig. 94. *Fio* cum non habet *r* primam habet longam, ut
Dic mihi si scias tu leo qualis eris?

Ovid. 12. Metam. Alias brevem: ut
Pars fieri potuisse negat.---

Genitivi pronominnm exeuntium in *ius*: item nomina similiter declinata penultimam habent communem; præter *alterius*, quod penultimam semper habet brevem, & *alius* quod genitivi penultimam semper habet longam.

Virg. 1. æn. Virg. 1. æn. *Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.*
Navibus (infandum) amissis unius ob iram
Prodimur---

Virg. 6 Æneid. *Quæ regio Anchisen? Quis habet locus? Illius ergo*
Venimus--

Ovid. 1. Trist. Eleg. *Cum subit illius tristissima noctis imago.*

Diana primam habet communem.

Item Genitivi & Dativi quintæ declinationis penultimam habent longam.

Non radii solis, neque lucida tela dici
Discutient.---

Lucret lib. 1. Excipe *fidei*, *spei*, *rei*, quanquam in hoc Lucretius *Re* facit longam:

Genitivus primæ declinationis, cum diphthongus æ in *ai* solvitur penultimam habet longam, ut

Virg. Eclog. 2. *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.*

Virg. Eclog. 2. *Ehen* primam habet longam: *Ohe* communem.

Mar. lib. 4. Epig. 9. *Eheu! quid volui misero mihi?*

- - -∪∪ -∪ - ∪- ∪

Horat. lat. lib. 1. 5. *Ohe jam satis est, ohe libelle.*

---huc apelle; trecentos inseris: ohe
Jam satis est.---

TERTIA REGULA.

Diphthongus omnis longa est: interim sequenti vocali sit brevis; ut,
Stipitibus duris agitur, sudibusque praeustis. Virg. 7. Æneid.
Raptatùrque comis per vim nova nupta praehensis. Ovid. 12. Metam.

QUARTA REGULA.

Praeterita disyllaba priorem habent longam, ut, Virg. Eclo. 8.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

EXCIPE.

v v v v v v
Dedi, tuli, bibi, steti, scidi, fidi.

QUINTA REGULA

Supina disyllaba habent priorem longam; ut Horat. lib. 1. Satyr. 8.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliúsque

EXCIPE.

v v v v v v
Datum, satum, statum, ratum, itum, quitum,
v v v v
litum, citum, à *cieo, situm* à *sino, rutum* à *ruo* in compositis.

SEXTA REGULA.

Derivata naturam sequuntur originis; ut
v v v v - -
Lego, legam, lege, legerem, legi, legeram,
- - - -
legerim, legissem, legero, legisse.

EXCIPE.

v - - -
Lucerna, laterna, tegula, regula, cum paucis aliis, quae usus docebit.
Dux laterna viae clausis feror aurea flammis, Mar. in. Apo.
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

SEPTIMA REGULA.

Praepositiones in compositione servant quantitatem quam seorsum habebant, ut *abeo adamo, deduco amoveo.*

EX-

EXCIPE.

Pro, in compositione interim brevis est, ut in *profiteor, profugus, profugio, proficiscor protio, profari, procello, proseruus, pronepos, profanus profestus.*

Communem habent primam syllabam, *procuro, profundo, propello, propago.*

Di & *se* Præpositiones inseparabiles, longæ sunt.

Virg. 7. Æneid. *Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.*

Virg. 1. Æneid. *Est in secessu longa locus, insula portum Efficit.---*

EXCIPE.

Dirimo & disertus, quæ primam corripiunt.

Reliquæ præpositiones ferè corripiuntur. *Aperio* ab *ad* potius quam ab à compositum videri potest.

Refert autem pro *interest* non à præpositione *re*, sed à nomine *re*, componi arbitror: quia priorem habet longam.

OCTAVA REGULA.

COmposita à verbis secundæ conjugationis, qualia sunt *liquefactus, tepefactus*, secundam habent communem: Cætera quæ ex corruptis, aut ex corrupto & integro componuntur, si prior pars in *e* vel in *i* exeat, eam vocalem corripiunt: ut *terrifico, causidicus, nefas, nefastus.*

EXCIPE.

Nequicquam & *pridie*, quæ primam: *veneficus* & *meridies*, quæ secundam producunt: *quotidie*, secundam habet communem: *tibicen* longam.

NONA REGULA.

MEdiæ verborum syllabæ, ex conjugationibus cognoscuntur.

De ultimis syllabis

Ultima cujusque versus est communis.

A in fine.

A in fine brevis est: ut

Arma virùmque cano.----

Excipe imperativos primæ conjugationis: ut *ama*. Ablativos primæ declinationis: ut Horat. lib. 1. Satyr.

Ibam forte via sacrâ.

Item numeri nomina indeclinabilia: ut Virg. 3. Æneid.

Triginta capitum fœtus enixa jacebat.

Manilius tamen hanc syllabam sæpè facit brevem.

Item *supra, ultra, contra, citra, frustrà, infra, intra circa prætereà, intereà, anteà, posteà*, quæ interdum corripiuntur.

Quos ultra citráque nequit consistere rectum, Horat. lib. 1.
Posteà mirabar cur non sine litibus esset Satyr. 9.
Prima dies,--- Ovid. 1. Fast.

E in fine.

E in fine brevis est: ut

Sæpè pater dixit, studium quid inutile tentas?

EXCIPE

Ablativos quintæ declinationis: ut *fide, spe, re*, Item *Fame* (nam *fames* antiquis fuit quintæ declinationis) & pluralia in e: ut *Cete, Tempe.*

Item imperativos secundæ conjugationis: ut *doce, mone*. Item adverbia ab adjectivis secundæ declinationis facta: ut *sanctè, sanctissimè*. Juven. Satyr. 8.

Benè tamen & *malè* ultimas habent breves, *fermè* & *ferè* longas,

Mobilis & varia est fermè natur a malorum.
Cùm scelus admittunt,

Item monosyllaba, *me, te, se, de, è*, & *ne* prohibendi longa sunt.

I in fine.

I in fine longum est: ut *domini, servi*.

Communem habent ultimam: *mihi, tibi, sibi, uti, ubi, ibi*, & ab eis composita.

Græcorum dativi & vocativi sunt breves: ut

Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorem Stat. in Achil.
Forte diem:
Dux Pari Priamide damno formose tuorum. Ovid. Epist.
Sed dativi interim latinis producuntur: ut Laiud.
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo. Catull.

Virg. Eclog. Tibul. lib. 3. Eleg. 6.

O in fine commune est ut *amo, quomodo.*

Item voces Gerundii in *do*, quanquam vim ablativi habeant.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.

[illegible] & ablativi producunt *o*, item *adeo, ideo falso* & *iocum* similibus: *modo* & *imo* brevem [illegible] habent ultimam.

Monosyllaba omnia producuntur: ut *do, sto, pro.*

V.

V in fine semper longum est: ut *cornu, gelu.*

B. D. T.

Horat. lib. 2. Satyr. 9. Ovid. 1. Fast.

B, d, t, corripiuntur: ut *ab, ad, ut.*

C.

In *c* finita, longa sunt: ut *dic, duc.*

E X C I P E.

Fac, nec, & *donec,* brevia, *hic* pronomen anceps.

L.

L breve est: ut *nihil.* Excipe, *sol, sal,* & *nil,* quæ longa sunt.

N.

N breve est: ut *nomen, numen.*

E X C I P E.

Ren, splen, lien, quin, sin, en, non, & Græca multa: ut *Titan, Pæan, Troezen, Salamin, Delphin, Pandion, Actæon,* & similia.

Item accusativos primæ declinationis à nominativis in *as* & *es*: ut *Anchisen, Æneam.*

R

R in fine brevis est, cum quavis vocali: ut *vir, uxor.*

E X C I P E.

Par, impar, compar, nar, lar, far, ver, cur, fur, & quædam Græca tertiæ declinationis: ut *Aer, æther*

Celiber, ultimam habet communem.

As

In *as* longa sunt: ut *ætas.* Excipe accusativos Græcos tertiæ declinationis Latinorum; ut *Troadas*: & nominativos fœmînini generis; ut *Pallas*

Es.

In *es* producunt ultimas; *paries, pes. aries, abies, locuples.* & *Ceres.*

EX-

EXCIPE.

Reliqua quibus genitivi crescunt, ut miles, hospes, eques. Item Græca nominativi pluralis, ut Troades; & neutra singularis numeri, ut Cacoethes: & es verbum & penes præpositionem.

Is.

In *is* brevem habent ultimam; ut *finis, funis.*

EXCIPE.

Pluralia in *is, dominis, bonis, quis, nobis, vobis, vis,* nomen & verbum cum compositis, ut *quidvis.* Item secundas personas verborum quartæ conjugationis; ut *scis, audis:* & secundas personas subjunctivorum, ut *possis, velis, nolis:* & quæ habent in genitivo iris, vel itis, ut *glis, lis, Samnis.* Item in secundis personis singularibus futuri subjunctivi, ut *dixeris, miscueris,* is est ambiguum.

Os.

Os longum est; ut *honos.*

Excipe *os ossis, compos, impos,* & Græca quædam neutrii generis; ut *Chaos,* etiam masculini & fœminini; ut *Atticos, Delos, Ilios,* & genitivos Græcos, ut *Palladas.*

Us.

Us breve est, ut *tempus, unus.*

EXCIPE.

Monosyllaba, ut *pus, rus, mus,* & fœminina, quæ crescunt in genitivis, ut *salus, tellus.* Item genitivos singulares, nominativos, & accusativos & vocativos plurales quartæ declinationis, ut *fructus, lusus.*

Ys.

Græca in *y,* brevia sunt, ut *Capys*

Toni seu Accentus

ACcidunt & syllabis toni tres, acutus qui eas attollit, ut *dóminus*: gravis, qui depremit, ut in syllabis *mì* & *nùs*: circumflexus, qui & tollit & depremit, ut *môs.* Sed corruptus pronunciandi usus ferè acutum cum circumflexo confundit.

REGULA PRIMA.

MOnosyllaba omnia attolluntur, & quæ longa naturâ sunt, circumflectuntur, ut *laûs, fraûs.*

EXCIPE.

Tres particulas, quæ vocantur *Encliticæ*, quòd accentum præcedentis dictionis ad se re trahant, ac sic legantur, tanquā pars ejus essent. Hæ enim, non secus atque in unâ dictione adjectione syllabæ, mutant accentum, ut *córpora corporáque* sic *hómines hominésque*.

.---- tectúmque, larémque, Amyclæúmque canem,
Cressámque pharetram.

SCUNDA REGULA.

IN disyllabis, penultima habet accentum, ut in *bónus, várius pánis*.

RGULA TERTIA.

IN polysyllabis, è tribus ultimis una semper attollitur, nec ultima unqam. Si in polysyllabis penultima longa sit, ea attollitur, ut *Románus, senésco*

Si penultima brevis sit, quæ eam præcedit, attollitur, ut *Dóminus Virgílius Virgilii, corpóribus córpori*.

Hæc est vera accentuum ratio, cui qui plura adjiciunt, mihi videntur timuisse, ne hæc pars absque Magistri operâ comprehendi posset. ideoque rem per se facilem objectis tenebris obscurare voluisse. Eorum errorem vir doctissimus *Julius Scaliger* satis luculenter in libro de causis Grammaticæ redarguit.

DE

ꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏ†ꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏ

DE GENERIBUS CARMINUM.

DE *Hexametro heroico* dictum est superius: ei solet plerumque adjungi *Pentameter Elegiacus*

1	2		3	4	
--	--				
-vv	-vv	-	-vv	-vv	-
--	-vv				
-vv	--				

Quin tu animum obfirmas, atque isthinc te usque reducis:
Et Dis *invitis desinis esse miser?* Catull.
Mittit & optat amans, quo mittitur ire, salutem, Ovid. Epist.
Æmonis Æmonio Laodamia viro.
Quam mallem in gellidis montibus esse lapis. Tibul. rele. Ibid. v. 10.
N*aufraga quam vasti tunderet ira maris.*

Quidam sic metiri volunt.

1	2	3	4	5
-vv	-vv	--	vv-	vv-
--	-vv			
--	--			
-vv	-vv			

Sapphicus Hendecasyllabus Pentameter.

1	2	3	4	5
-v	-v	-vv	-v	-v
	--			--

Otium Catulle tibi molestum est.
Catull. *Otium divos rogat in patenti*
Horat. l. 2. Od, 16. *Prensus Ægeo.*

Phaleucius Hendecasyllabus Pentameter.

1	2	3	4	5
--				
-v	-vv	-v	-v	-v
v-				

Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum.
Catull. *Corneli tibi? Namque tu solebas,*
Meas esse aliquid putare nugas.

Glyconius sive Choriambicus Trimeter.

1	2	3
		-vv
--	-vv	-v-

Sic te Diva potens Cypri.

Alii sic metiuntur.

Horat. Od. 2. Ib. 2.

1	2	3
--	-vv-	-vv
		-v-

Choriambicus tetrameter.

1	2		3	4
--	-vv	-	-vv	-vv
				-v-

Aliter

Aliter sic.

1	2	3	4
--	- vv-	-vv-	vv
			v-

Mæcenas atavis edite regibus. Hor. lib. 1. Od. 1.

Choriambicus pentameter.

1	2	3	4	5
--	-vv-	-vv-	-vv-	vv

Nullam, Vare, sacrâ vite prius severis arborem. Horat. Od. 8.

Versus Iambicus Acatalecticus Dimeter.

1	2	3	4
--		--	
v-	-v	v-	
vvv		vvv	v-
-vv	vvv		
vv-		-vv	vv
		vv-	

Sedulius.

Herodes hostis impie,
Christum venire quid times?
Non auferet mortalia.
Qui regna dat cœlestia.

Hoc genere carminis à Prudentio tota Romani vita descripta est.

Versus

Versus Iambicus Acatalecticus trimeter.

1	2	3	4	5	6
--		--		--	v-
v-	v	v-	v-	v-	
vvv	vvv	vvv		vvv	vv
-vv		-vv			
			vvv	-vv	
vv-		vv-		vv-	

Laudes feracis prædicemus hortuli.

F I N I S.